DE LIBRO RATIONIS

GUILLELMI DE ERQUETO

THESIM

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS PROPONEBAT

JOSEPH PETIT

SCHOLÆ CARTARUM OLIM ALUMNUS

LUTETIÆ PARISIORUM

A. PICARD FILIUSQUE, EDIDERUNT

82, RUE BONAPARTE, 82

MDCCCC

DE LIBRO RATIONIS
GUILLELMI DE ERQUETO

MACON, PROTAT FRÈRES, IMPRIMEURS.

DE LIBRO RATIONIS

GUILLELMI DE ERQUETO

THESIM

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS PROPONEBAT

Joseph PETIT

SCHOLÆ CARTARUM OLIM ALUMNUS

LUTETIÆ PARISIORUM

A. PICARD FILIUSQUE, EDIDERUNT

82, RUE BONAPARTE, 82

MDCCCC

ORNATISSIMO VIRO

J. GUIFFREY

PROŒMIUM

Postquam de principe disseruimus, potentia et opibus insigni, qui [1], inter varios casus et per diversas Europæ regiones magna gessit, nunc expedimus vitam regii cujusdam clerici qui, quanquam maximis ætatis suæ negotiis proximus adfuit, tamen in obscuro statu vixit. Sed, perscrutantibus documenta multa quæ ad hunc virum spectant, melius licebit agnoscere quam vivendi rationem quosque mores tenuerint homines qui, illis temporibus, exiguis facultatibus sunt usi.

Ex omnibus documentis nulla sane plus ad hoc studiorum genus conferunt quam libri dicti *libri rationis*, (gallice « livres de raison »), in quibus, ex more, qui ad recentiora tempora usque viguit, patres-familias res domus suæ majori minorive diligentia conscripserunt : nativitatum [2], matrimoniorum, obituumque dies, non modo liberorum et propinquorum, sed et amicorum ; ad hæc vendita aut empta bona

1. Carolus de Valesio, frater regis Philippi IV^{ti} : *Charles de Valois*. Paris, 1900, in-8°.

2. Cf., exempli causa, adnotationes nondum editas quæ in manuali reperimus clerici cujusdam Cameræ Computorum Parisiensis, asservato in Bibl. nat., lat. 9848.

immobilia et, quando res id postulare videbatur, pretium vasorum rerumque mobilium minus vilium. Ejusmodi codices filiis a patribus traditi, multarumque generationum adnotationibus aucti, diversarum fortunarum quæ passa gens erat memoriam nepotibus transmittebant. Quibus et nos novimus quod fuerit vivendi genus hominibus humili genere oriundis; ad hos enim nulla, nisi in his recentioribus temporibus, historiarum et chronicarum scriptoribus cura unquam fuerat.

Jam viris eruditis horum librorum utilitas[1] denuntiata est, nonnullis nuper in lucem prolatis. Tales quidem codices multos reperire licet in XVII° aut XVIII° sæculo conditos; in XIV° autem paucissimi apparent, quorum unum animadvertimus a « G. Guigue[2] » prolatum.

Alter vero est qui propter similitudinem temporum, locorum et conditionis, quibus vixerunt primi scriptores utriusque codicis, maxime est libro Guillelmi conferendus : chartularium scilicet magistri Johannis Mignon[3], qui fuit clericus Cameræ Computorum,

1. Cf. P. Viollet, *Précis de l'histoire du droit français*, p. 387, nª 3; de libro Guillelmi, cf. L. Delisle, *Histoire littéraire de la France*, XXXII, p. 167.

2. *Le livre de raison d'un bourgeois de Lyon au XIVe siècle, texte en langue vulgaire* (1314-1344). Lyon, 1882, in-8°. — Addere possumus nonnullos libros Parisiis editos, annis 1888 et 1895, a Ludovico Guiberto, et propter utilitatem tantummodo comparandum est : P. Meyer, *Le livre-journal de maître Ugo Teralh, notaire et drapier à Forcalquier* (1330-1332), *Not. et Extr. des Mss.*, XXXVI¹, p. 129.

3. De viro, cf. Ch.-V. Langlois, *Inventaire de Robert Mignon* (præfatio).

regnante Philippo Pulchro, et opes multas contulit ad condendum in Universitate Parisiensi collegium nuncupatum a conditore Collegium « Mignon ». Qui liber quem repertum et sedulo investigatum « A. de Dion [1] » possidet, minus quam liber Guillelmi res illorum temporum publicas vel privatas refert et chartularium melius appellari posset. Indicia tamen quæ affert de possessione et usu agrorum, utile prædicti libri complementum sunt et confirmatio.

Hic liber rationis haud secus ac cetera documenta ad res pertinentia quibus Guillelmus moriens capellam locupletavit a se Erqueti, in vico in quo natus fuerat, ædificatam, in abbatiam Sanctæ Genovefæ statim est translatus. Si enim servatus fuisset Erqueti, anno utique 1619°, simul atque ceteræ chartæ hic relictæ subreptus fuisset [2], nec pluries de eo quasi in abbatia detento [3] mentio esset. Describitur autem sic in indice chartarum ad prioratum Erqueti pertinentium, qui anno 1790° scriptus est :

« N° 95. Papier-journal de Me Guillaume d'Arcuys, dans lequel sont les cens deuz au prioré de St Louis d'Arcuys. »

Sed mentio alia, quæ magis nobis arridet, asserit librum in abbatiæ bibliotheca asservatum [4] fuisse. Non

1. Notitia ab eo edita et inscripta : « *Un gros propriétaire au XIVe siècle* », extr. a « *Bulletin de la Société des Antiquités et des Arts de Seine-et-Oise*, t. IX. Versailles, 1889, in-8° ».

2. A. N., S. 1542A, fasc. 7.

3. Cf. in libro, infra, fol. 1, 2, 79 v° ; A. N., LL 1445.

4. *Gallia Christiana*, X, c. 1422.

defuerunt aliunde rerum historicarum scriptores quibus liber iste, ut hic asservatus, notus fuerit. Locum habet in documentis quæ congregavit « A. Duchesne » cum augendum suscepit opus inscriptum : *Recueil des historiens de la France* ; his indicatur in 197ª pagina :

« Fragment du Journal de Jean (*sic*) d'Arcuys, précepteur de Philippe le Bel [1] ».

In *Gallia Christiana* [2] quædam mentio rei cujusdam inserta est, quæ lecta fuerat, aiunt auctores, « in diario gallico domini d'Arcuys, archidiaconi in ecclesia Laudunensi, qui fuerat præceptor regis Philippi Pulchri, cujus diarii authenticum servatur in bibliotheca Sanctæ Genovefæ Parisiensis [3]. »

Tandem « Lebeuf », presbyter, noverat hunc librum in quo manu propria hæc scripsit : « Livre des biens de Guillaume d'Erquez, clerc du roy. Il y a plusieurs curiositez rapportantes à la Picardie et diocese de Laon [4] ».

Abhinc a bibliotheca Sanctæ Genovefæ ad Reipublicæ Archivas translatæ sunt chartæ Guillelmi ; liber autem mansit in eadem bibliotheca [5] in qua etiam nunc servatur. Ignoravit eum « Coustant d'Yanville », cum de Guillelmo brevem notitiam scrip-

1. *Catalogue des manuscrits de la Bibliothèque Sainte-Geneviève*, I, p. 374, ms. nº 785.
2. *Gallia Christiana*, X, c. 1422.
3. *Ibidem*.
4. V. in libro, fol. 1.
5. Bibl. Sainte-Geneviève, *Catalogue*, II, p. 243, ms. 2025.

sit [1], documentis asservatis in Reipublicæ Archivis [2] solum usus. Sed recentius Carolus « Kohler » hunc reperit in oblivione jacentem, cujus utilitatem denuntiavit. Quamobrem nonnulli postea, rari tamen, rerum historicarum scriptores ad eum alluserunt [3]. Quem librum Carolus « Kohler » Societati historiarum Galliæ edendum obtulerat [4]; sed, cum in aliis multis laboribus occuparetur, opus illud neglegeret et derelinqueret necesse fuit. Nihilominus, inventionis honore parum contentus, quæ de Guillelmo et de libro annotaverat liberaliter nobis tribuit. Cui, propter has adnotationes et rem ipsam quæ, cum ejus esset, nobis ita donavit, libenter hic animum gratissimum profitemur.

Addimus recentius « L. Delisle » de Guillelmo de Erqueto libellum vulgavisse, quo utendi, ante etiam quam prodiret, nobis facultatem assueta cum benevolentia concessit.

1. *Mémoires de la Société académique de l'Oise*, V, p. 531-563. — De ipso Guillelmo idem Coustant d'Yanville aliqua verba dixit in congressu archeologico Silvanectis congregato anno 1877°, cf. *Congrès archéologique de France*, 44e session, Senlis, 1877, p. 175-180.

2. A. N., S 1542A et B.

3. Ch.-V. Langlois, *Le règne de Philippe III le Hardi*, p. 45.

4. *Revue historique*, XXX, 1886, p. 219.

CAPUT PRIMUM

DE VITA GUILLELMI

Guillelmus cognomen suum, pro usitata consuetudine, accepit ab Erqueto, vico sito in Silvanectensi diœcesi, inter Nuviliacum in Thella et Credulium. Ipse enim in testamento dicit se capellam condidisse « in villa de Erqueto, in loco ubi exstitit oriundus[1] ». Natus est inter annum 1250^{um} et annum 1260^{um} ; nam verisimile est eum triginta annos natum fuisse quando regem Philippum Audacem, anno 1284°, in Aragoniam euntem secutus est : etenim in libro adnotationes de vita Guillelmi sic incipiunt : « De l'an mil CCIIII^{xx} et IIII ouquel an li roys de France et li alerent en Arragon[2] ». Maturum tunc ætate fuisse liquet virum qui Philippum, regis filium, jam educaverat. Sic enim loquitur Philippus IV^{us} in charta data mense januario anni 1298[1] : « ..... dilecti et familiaris clerici nostri magistri Guillelmi de Erqueto, canonici Laudunensis, qui, studens reddere se nobiscum a longo convictu per obsequia grate familiaritatis acceptum, notitiam litterarum in nostre juventutis pri-

1. A. N., S 1542^{B}, fasc. 2; *Mémoires de la Société académique de l'Oise* (1862), V, p. 545 et ss.
2. Vide infra, fol. 10.

mordio nobis dedit, obtentu...[1] ». Alia ejusmodi rex conscripsit in charta[2] data mense septembri

1. A. N., S 1542^B^, fasc. 2; vidimus : S 1542^A^, fasc. 8.

2. A. N., S 1542^B^, fasc. 2 : « Philippus, Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod licet ad ea que divini cultus augmentum prospiciunt, que placida Regi Regum credimus, nostra prorsus versetur intentio, dilecti tamen et familiaris clerici nostri magistri Guillelmi de Erqueto, archidiaconi de Therasca in ecclesia Laudunensi, qui studens reddere se nobiscum a longo convictu, per obsequia grate familiaritatis acceptum, notitiam litterarum in nostre juventutis primordio nobis dedit, obtentu, eumdem propter hoc in hac parte gratia et favore benivolo prosequentes, volumus et tenore presentium concedendum duximus quod idem magister Guillelmus in augmentationem reddituum capelle quam in parrochia de Erqueto, Belvacensis dyocesis, in honore Virginis gloriose et beatissimi confessoris regis Ludovici, ac sanctorum omnium fundavisse dinoscitur opere sumptuoso in terra, feodis, retrofeodis, domaniis ac censivis nostris possit inposterum acquirere sive sit in terris arabilibus, vineis, nemoribus, domibus, masuris, censibus, pratis, campipartibus, sive sit in aliis quibuscunque possessionibus aut rebus aliis, justo titulo donationis, permutationis, vel etiam emptionis aut alio quocunque justo modo usque ad valorem triginta libratarum parisiensium annui et perpetui redditus. Volentes et pro nostre ac carissime consortis nostre Johanne, regine Francie, predecessorumque nostrorum animarum salute ac remedio concedentes ut, postquam predicta a prefato magistro Guillelmo vel ab executoribus aut successoribus suis, si eum decedere contingeret antequam ea acquisisset, fuerint acquisita usque ad valorem triginta libratarum parisiensium predictarum annui et perpetui redditus, in quibus altam justiciam pro nobis et pro nostris successoribus retinemus, capellanus ejusdem capelle seu capellani, si plures in ea fuerint instituti, qui in predicta capella pro tempore fuerint instituti perpetui capellani pro divino officio in eadem deinceps celebrando, ea taliter acquisita cum bonis et rebus, cum suis pertinentiis universis, que jam in retrofeodis nostris ipse magister Guillelmus justo titulo et licite noscitur hactenus acquisisse et virtute hujusmodi litterarum sine aliis privilegiis aut litteris a nobis aut a nostris successoribus imposterum obtinendis, petendis aut aliter impetrandis, super hujusmodi acquirendis et iam etiam acquisitis, prout superius est expressum, tenere possint et perpetuo possidere pacifice

anni 1303[1]. Si igitur Guillelmus dignus habitus est qui regis Philippi Audacis filium « in juventutis primordio », id est, ab anno circiter 1275° ad annum 1280um, institueret, jure contendimus Guillelmum inter annum 1250um et 1260um vitam introivisse [1].

Philippus Pulcher, rex factus, præceptorem non oblitus est et Guillelmus potuit in testamento suo [2] multis muneribus ab eo acceptis merito gloriari; nam

et quiete sine coactione vendendi vel extra manum suam ponendi et absque prestatione financie cujuscunque; salvo in aliis jure nostro et quolibet alieno. Volumus etiam et concedimus ut predicti capellani aut unus, si solus in dicta capella fuerit institutus, anno quolibet ad usum suum ponant, habeant et perpetuo teneant duodecim porcos in pasturagio et pasnagio foreste nostre Halate seu foreste nostre Cuisie, quam maluerint eligendam. Adicimus insuper cum predictis ut quicunque deinceps habebunt, tenebunt et etiam possidebunt molendinum ad ventum prefati magistri Guillelmi, situm juxta viam per quam itur de Bellomonte super Ysaram apud Williacum, merrenum sufficiens in eadem foresta nostra Cuisie, de licentia et per liberationem forestariorum nostrorum ejusdem foreste, ad opus refectionis et reparationis ipsius molendini, quando et quociens opus erit et refectione aliqua indigebit, capiant, habeant et percipiant in futurum. Dantes forestariis ipsarum modernis et qui pro tempore fuerint, tenore presentium, in mandatis ut permittant ipsos capellanos in altera hujusmodi forestarum dictos duodecim porcos annis singulis ponere et habere, tenentibus vero ipsum molendinum pro reparatione ac refectione ejusdem, quotiens opus erit, merrenum competens, absque alterius nostri vel successorum nostrorum exspectatione mandati, sine difficultate qualibet, ut predicitur, deliberent et assignent. Quod ut firmum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud abbatiam sancti Luciani juxta Belvacum, anno Domini millesimo trecentesimo tertio, mense septembri ». A. N., S. 1542B, fasc. 2.

1. L. Delisle (*Histoire littéraire de la France*, XXXII, p. 155) annum 1260um proposuit.

2. A. N., S 1542B, fasc. 2; *Mémoires de la Soc. de l'Oise*, V, p. 541 et ss.

« rex Philippus quem litterarum scientiam edocuit et instruxit », non immemorem se hujus beneficii exhibuerat. Guillelmus de Erqueto, quem verisimile est fuisse clericum hospitii apud principem regni heredem, postea clericus regis factus est et usque ad finem vitæ suæ permansit. Non est inter familiares illos et consiliarios regis computandus qui, rebus maximis immixti, ingentes opes et famam clarissimam sibi comparaverunt; quorum nonnulli, rebus prosperis primo usi, turpem postea mortem obierunt aut saltem ærumnis et ruina afflicti sunt. Cum enim Ingerranus de Marigniaco (unum hunc super ceteros viros clarissimum commemoro) illorum invidia et odio cecidit quos vexaverat ejus felicitas, Guillelmus contra inter varios casus fortunæ per vitam longam tranquilla fama fruitus est.

Semper enim fuit Guillelmus notarius regis : in prima ordinatione [1] hospitii regis, quam Philippus IVus, regnum adeptus, fecit Vincennis, mense januario anni 1286i, legimus inter notarios Guillelmum, cum magistro Johanne Bequet, et hæc de illis statuta erant :

« Cil dui ensemble auront III chevaus, et XVIII deniers

1. In multis exemplaribus illius ordinationis nomen Guillelmi pessime scriptum est : reperimus « Argueil, Arcueil, Arqueil », etc. Cf. A. N. JJ 57, fol. 510; B. N., fr. 2838, fol. 19; Martène, *Thesaurus anecdotorum*, I, c. 1204; Tessereau, *Histoire chronologique de la chancellerie royale de France*, I, p. 9; Joseph Petit, etc., *Essai de restitution des plus anciens Mémoriaux de la Chambre des Comptes de Paris*, nos 185 et 382 (*Bibliothèque de la Faculté des lettres de Paris*, VII).

par jour, et IIII prouvendes d'avesnes, et II vales mangans a court et un a gaiges, et forge et chandele. »

Et proxime post hæc legimus in computo donorum familiaribus et consiliariis regis tributorum anno 1287° : « Magister Guillelmus de Erqueto, C solidos [1] ». In computis quoque anni 1288[i], inter clericos regis qui pallia sunt accepturi, inscriptus est Guillelmus de Erqueto [2]. In tabulis ceratis magistri Johannis de Sancto Justo bis nominatus est Guillelmus his verbis : « Magister G. de Erqueto ad dona hospitii L lib. parisiensium [3] » (9a decembri 1285°) et « Magister Guillelmus de Erqueto, pro XXIX diebus in curia et VIII diebus Parisius cum sigillo, CX solidos, X denarios [4] » (1301°). Aliam viri mentionem reperimus in computo thesauri regis [5] quod factum est tempore Omnium Sanctorum anno 1296°. Rursus in ordinatione hospitii regis factæ anno 1290°, Guillelmum esse notarium constat [6]. Aliunde facillime confirmari potest eum diu notarium permansisse. Solebant enim notarii regis in replicatura chartarum quas conscripserant nomen suum inscribere ut pateret omnibus quis illas perfecisset et sigillo obtulisset. Nomen autem Guillelmi de

1. B. N., fr. 7852, p. 107; Clairambault, 832, p. 187; Ludewig, *Reliquiæ manuscriptorum* (Francfort, 1720-1741, in-8°), XII, lib. I, p. 17. — De vadiis Guillelmi, v. infra, fol. 8° libri rationis.

2. B. N., Clairambault, 832, p. 200.

3. *Historiens de la France*, XXII, p. 488.

4. *Ibidem*, p. 516.

5. « De magistro de Erqueto, pro residuo cujusdam financie, XXIV l., per eumdem Johannem », *Bibliothèque de l'École des Chartes*, 1884, p. 242.

6. B. N., fr. 7852, p. 76.

Erqueto, in tribus chartis reperitur, quarum series sequitur :

1°. Mense februarii, anno 1289°, B. N., Moreau, 209, fol. 203.

2°. 31ª maii, anno 1302°, A. N., KK 945, fol. 4 v°.

3°. Mense junio, anno 1302°, A. N., K 181, n° 59 [1].

Accedebat ut Guillelmus, præter officia muneris sui, variis modis bene de rege mereretur : ita, anno 1305°, reddidit dominæ Nicolæ de Colonia 240 libras, quas regi mulier illa mutuas dederat [2].

Nec stipendia solum a rege clerici et familiares obtinebant, sed adhuc beneficio ejus dignitates et præbendas ex quibus opes et divitias ingentes trahere poterant. Itaque Guillelmus pluribus decoratus est canonicatibus, cum id vetaret mos contrarius et decreta etiam lata essent, quæ canonicos in ecclesiis manere juberent et cuilibet possessionem plurium beneficiorum interdicerent. Jam enim prava illa consuetudo invaluerat : clerici regis, vel proximorum ejus, vel potentium optimatum, et omnes quibus favebat summus pontifex, multis opulentisque præbendis donabantur cum magno pauperum clericorum detrimento. Hoc modo rex poterat exiguis cum impensis omnibus officialibus suis mercedem tribuere adeo ut, nonnullis post annis, Philippus V^us prohibuerit ne clerici regis bene-

1. In hac copia cujusdam chartæ regis Philippi VI^ti, nomen Guillelmi sic transcriptum est : « S. de Crececto », sed nullus notarius regis sic nominatus reperire licet, itaque verisimile est nomen Guillelmi hic prave lectum fuisse.

2. V. in libro, fol. 18 v°.

ficiis ecclesiasticis prædili annuos reditus e thesauro regio perciperent, cum essent beneficia pro retributione habenda [1].

Fuit primo Guillelmus canonicus in ecclesia Laudunensi et in ecclesia Silvanectensi, ut legimus in charta [2] data mense februario, anno 1288°. Postea, mense januario, anno 1291°, accepit per procuratorem in ecclesia Remensi præbendam de qua ipsi Nicolaus IVus summus pontifex providerat [3]; hanc vero decem post annis circiter deposuit, nam in bulla data anno 1301°, 26a die mensis februarii, Bonifacius VIIIus archiepiscopo Narbonensi et episcopo Autissiodorensi hæc mandavit : « cum, sicut accepimus, magister Guillelmus de Erqueto, clericus et familiaris carissimi in Christo filii nostri Philippi, regis Francorum illustris, canonicatum et prebendam ecclesie Remensis, quos dudum, ipsa ecclesia vacante, dictus rex ipsi magistro Guillelmo dicitur contulisse, quosque idem magister Guillelmus, pretextu collationis hujusmodi asseritur possidere, libere resignare proponat, fraternitati vestre, ... ». Sed anno 1309° rursus eadem præbenda fruebatur [4], et 17a die septembris, anno 1311°, rex præcepit decano et capitulo Remensis ecclesiæ [5] ut « dicto magistro

1. Joseph Petit, etc., *Essai de restitution des plus anciens Mémoriaux de la Chambre des Comptes de Paris*, n° 398.

2. A. N., S 1542B, fasc. 3.

3. V. infra, fol. 11; cf., fol. 6, formulam litterarum procurationis ad fructus percipiendos loco absentis canonici.

4. A. N., J 348, n° 12 *bis*.

5. A. N., S 1542B, fasc. 7.

Guillelmo fructus grossos prebende sue Remensis, per vos arrestatos ut asserit, deliberetis [1] ». Nobis quoque compertum est Guillelmum deposuisse in manibus regis, anno 1300°, mense septembri, ecclesiam de « Caron [2] ».

Alia etiam beneficia aliunde antea obtinuerat : die 7ª martii, anno 1295°, canonicus Noviomensis [3] dicitur. Demum anno 1301°, die 10ª maii, titulum archidiaconi Therascæ in ecclesia Laudunensi accipit in quadam charta Johannis domini de Erqueto [4]. Anno 1306°, in serie cui ea est inscriptio : « Iste sunt prebende de quibus dominus rex vult quod dominus Narbonensis archiepiscopus faciat provisionem personis infrascriptis, et ad hoc a domino rege nominatis », legitur : « Belvacensis. Magister Guillelmus de Erqueto [5] », sed, cum nulla existat alibi hujus mentionis confirmatio, existimare licet regem proposito destitisse, nec unquam Guillelmum canonicum Belvacensem fuisse. Tunc forsitan reddita ei fuerit Remensis præbenda loco Blvacensis ; Guillelmus enim accurate notavit formulam qua rex Raymundo, cardinali diacono Sanctæ Mariæ Novæ, obtulit titularem ad præbendam

1. V. infra, fol. 78.
2. A. N., S 1542ᴬ, fasc. 8 ; S 1542ᴮ, fasc. 3 ; *Mémoires de la Soc. académique de l'Oise*, V, p. 563.
3. A. N., S 1542ᴬ, fasc. 8 ; S 1542ᴮ, fasc. 3 ; cf. fol. 9.
4. A. N., S 1542ᴬ, fasc. 8 ; S 1542ᴮ, fasc. 3.
5. B. N., fr. 16600, fol. 169 ; Joseph Petit, etc., *Essai de restitution des plus anciens Mémoriaux de la Chambre des Comptes de Paris*, p. 150.

vacantem cessione canonici [1]. Tandem memorare debemus eum in ecclesia collegiali Beatæ Mariæ de Melloto juxta Erquetum, canonicatum accepisse et autelagium in ecclesia parochiali Joncheriaci super Suippam in Remensi diœcesi.

Nec honores tantummodo sed opes maxime e suis canonicatibus Guillelmus capiebat; exempli causa, anno 1312°, percepit 335 libras, 7 solidos, 10 denarios parisiensium fortis monetæ [2], scilicet :

Ex archidiaconatu Therascæ, 94 l., 7 d.

E præbenda Remensi, 80 l., 70 s., 2 d.

E præbenda Noviomensi, nihil computatum est.

E præbenda Silvanectensi, 29 l., 17 s., 4 d.

E præbenda de Melloto, 27 l., 11 s., 8 d.

Ex autelagio Joncheriaci super Suippam, 55 l. exceptis misiis ad diversos sumptus 51 l., 4 s., 1 d.

Advertendum est primum clericos ex his præbendis ecclesiarum cathedralium pecuniam capere minorem quam illi quidem qui præbenda fruentur in ecclesiis quarum bona erant inter canonicos communia et fructus indivisi : tunc etiam, ex constitutione Clementis Vi, summi pontificis, capitula debebant absenti canonico centum libras pecuniæ in diœcesi usitatæ solvere [3].

Qui tam studiose beneficiorum suorum fructus percipiebat, idem vir curam omnem sedulo fugiebat. Scripta est in libro ejus bulla Martini IVi, summi pontificis,

1. Cf. fol. 6 v°.
2. V. fol. 8.
3. *Regestum Clementis pp. V^ti*, I, p. 126.

qua utebatur [1] : hæc bulla clericis regis quos rex « litterarum studio duxerit deputandos », concedit ut « possint redditus et proventus beneficiorum suorum, etiamsi sint dignitates vel personatus, et curam habeant animarum, cotidianis distributionibus duntaxat exceptis, cum ea integritate percipere valeant cum qua illos perciperent si, in ecclesiis in quibus beneficia ipsa obtinent, pluraliter residerent [2] ». Paulo post Martini IV^{ti} obitum, Honorius IV^{us} similem licentiam regi Philippo Pulchro dedit [3]. Guillelmus semper, vel cum maturus ætate fuit, licentia a Martino IV^{o} concessa usus est : in libro enim suo bis notavit [4] formulam litterarum quibus jam senex factus officiali Parisiensi et Silvanectensi testatus est se aliquamdiu in Universitate Parisiensi studuisse.

Propter amicitiam regis obtinuit a summis pontificibus nonnullos favores : sic prima die julii, anno 1295^{o}, Bonifacius VIII^{us} licentiam ædificandi et instituendi capellam Erqueti, sumptibus propriis, ei dedit. Conditori jus patronatus reservatus fuit, ea tamen conditione ut capellanis creandis reditus annuus quadraginta librarum parisiensium attribueretur [5]. Sed paulo post Guillelmus ab hoc eodem pontifice cum

1. V. fol. 7.

2. Potthast, *Regesta pontificum Romanorum*, II, n° 21802; *Les Registres de Martin IV*, n° 374 (*Bibl. des Écoles françaises d'Athènes et de Rome*).

3. Potthast, *o. c.*, II, n° 22422.

4. Cf. fol. 2 v° et 78.

5. Digard et Faucon, *Les Registres de Boniface VIII*, c. 75 (*Bibl. des Écoles françaises d'Athènes et de Rome*).

ceteris consiliariis et familiaribus regis excommunicatus est, quas sententias Benedictus XI^{us} condonavit (bulla absolutionis in libro Guillelmi scripta est[1]), et Clemens V^{us} rursus conditam Erqueti capellam laudavit[2], anno 1306°, 25ª die maii; annoque 1307°, 8ª die augusti, Guillelmo tribuit quamdam bullam, Pictavæ datam, cujus major pars excidit, salvis tantummodo ultimis verbis[3].

Dignitates enumeravimus quibus Guillelmus ornatus fuit: nunc res ab eo gestas decet considerare. Nihil de eo novimus, nisi quod Philippo Pulchro erudiendo adfuit, usque ad annum 1284^{um}, quo regem Philippum III^{um} euntem in Aragoniam secutus est[4]. Scimus eum regi Philippo Pulchro cum Flandrensibus bellantem, anno 1297°, comitem[5] fuisse; vulneratum[6] fuisse, 8ª die martii anno 1302°, et bis ægrotasse, primum apud Crucem Sancti Audoeni[7], die festo Omnium Sanctorum, anno 1295°, secundum autem per totum fere mensem octobris, anno 1302°, apud Feritatem Milonis[8]. Eodem anno, 20ª die augusti, Erqueti, in domo sua, a Roberto, comite Clarimontis, beati

1. V. fol. 7 v°; Potthast, *o. c.*, II, n°s 25425-25427.
2. Hæc bulla in testamento est transcripta, v. *Mémoires de la Soc. académique de l'Oise*, V, p. 549.
3. V. fol. 9.
4. V. fol. 10.
5. V. fol. 13 v°.
6. V. fol. 15 v°.
7. V. fol. 12.
8. V. fol. 16.

Ludovici filio, visitatus est[1]. Tandem præter mentiones quæ in libro frequenter reperiuntur, quas nobis hic percensere inane visum est, quia secundum lapsi temporis cursum ordinatæ sunt, virum compertum est, 23a die martii anni 1309i, Parisiis[2] et, paulo post, 10a die aprilis ejusdem anni, ad officialem Parisiensem[3] evocatum fuisse et denique, 14a die maii anno 1310o, in abbatia Sancti Vincentii Silvanectensis præsentem adfuisse[4].

Pauca de Guillelmo archidiacono ad nos usque pervenerunt : parœcias tamen, quæ erant in archidiaconatu Therascæ dicto « parvo archidiaconatu », incerto tempore, ordine decanatuum annumeravit in libro[5]. Non Guillelmus ipse cum rege anno 1307o litigavit[6], sed archidiaconus alius ejusdem ecclesiæ Laudunensis, archidiaconus quidem Lauduni, ipse enim erat Therascæ archidiaconus in ista ecclesia. Similiter in libro ejus inscripta est formula ad curatos præsentandos in ecclesiis in quibus patronatus jus habebat ; qua videtur usus fuisse cum, anno 1309o, magistrum Johannem de Pons[7] curatum creandum Joncheriaci super Suippam archiepiscopo Remensi præsentavit, et anno 1310o dominum Johannem « Alout » de Ponte

1. *Ibidem*.
2. V. fol. 21.
3. A. N., S 1542B, fasc. 7.
4. V. fol. 22.
5. V. fol. 35 vo.
6. Varin, *Archives administratives de Reims*, I, p. 120 et 145 (*Collection des Doc. inédits*).
7. V. fol. 6.

Sanctæ Maxentiæ[1] Blenonis curatum. Die 4ª aprilis, anno 1312º, Guillelmus commisit decano capituli Laudunensis et magistro Johanni « Festuz », ejusdem ecclesiæ canonico, curam abbatis monasterii Sancti Nicholai de Bosco[2] in dignitate collocandi, quod ejus juris erat; et hujus muneris proventum viris illis attribuit; alias etiam similes litteræ reperiuntur, sed sine mentione diei[3]. Tandem in libro invenimus litteras vi quarum judex apostolicus auctoritate apostolica constitutus huic vel illi ex presbyteris Bellovacensis diœcesis significabat[4] ut Lauduni adesset in diem statutam coram Guillelmo de Erqueto, archidiacono Therascæ et clerico regis.

Memorandæ sunt quoque visitationes quæ archidiaconi per parœcias suas faciebant, nam in libro sunt formulæ[5] quibus utebatur Guillelmus cum adventum suum jamjam adesse et imminere notificare volebat; quæ diversæ erant pro dignitate virorum, nam scribi non eodem modo decebat abbati Cisterciensis ordinis vel Sancti Benedicti quam presbyteris parœciarum[6].

Etsi Guillelmus videtur modica conditione exstitisse, tamen propter officium suum in curia multis amicis singulariter potuit inservire : sic abbas Gemmeticensis

1. V. fol. 6 vº.
2. V. fol. 21.
3. V. fol. 22.
4. V. fol. 2 vº.
5. Litteræ missæ decano de Ribodimonte et Petro de Sancta Genovefa, capellano perpetuo in ecclesia Laudunensi, in libro, fol. 36 vº.
6. V. fol. 36 vº.

eum, anno 1310°, mense decembri, precum et bonorum operum abbatiæ participem fecit, missamque solemnem in requiem animæ ejus celebratum iri promisit, cum obitum novissent monachi, ob eam causam : « vestra devotione, quam ad nostram habetis ecclesiam, debita meditatione pensata [1] ». Alii Guillelmo gratos se pecunia aut variis donis exhibent : mense januario anni 1290ⁱ, Arnulphus de Trabis, armiger, et Johanna, domicella de Erqueto, largiuntur ei duo jornalia agri, ut erat tunc mensura, Erqueti sita, « considerantes multiplicia beneficia sibi impensa a viro venerabili et discreto magistro Guillelmo de Erqueto [2] ». Eodem anno, mense julio, Robertus, comes de Claromonte, avunculus regis, « obtentu grati et fidelis servicii », concedit ei « quodcumque jus haberet in quasdam masuras Erqueti sitas [3] ». Guillelmus Foucondus de Erqueto, « rememorans amplas curialitates et grata beneficia [4] » ; Arnulphus de Stratis et uxor ejus « considerantes largifluas bonitates et multiplicia beneficia [5] » ; Johannes, dominus Erqueti [6] et regis valletus, Reginaldus de Monte, miles regis,

1. V. fol. 3.

2. A. N., S 1542ᴬ, fasc. 8 ; S 1542ᴮ, fasc. 1 et 3. — De ipso Arnulpho, cf. B. N., Picardie, 232, pag. 200 ; Clairambault, 45, n° 3392.

3. A. N., S 1542ᴬ, fasc. 2 ; S 1542ᴮ fasc. 3.

4. Mense decembris, anno 1294°, A. N., S 1542ᴬ, fasc. 2 et 8.

5. 13ª novembris, anno 1298°, A. N., S 1542ᴮ, fasc. 3.

6. De illo : « Johannes de Erqueto pro xxxv diebus, xxxvii s., xi d., solutum per J. Britonem. » *Hist. France*, XXIII, p. 523 ; cf. quoque B. N., Pièces originales, 1054, n° 24404.

Robertus dictus de Hamello [1], Rogerius Coutant, Reginaldus de Hamello, Guillelmus Foucondus, clericus de Erqueto, qui omnes erant domini de Erqueto, « considerantes puram affectionem et rectam intentionem quam... habere noscitur [2] »; abbas Sancti Geremari Flaviaci, « immensas bonitates et beneficia multiplicia recolens [3] », et ceteri, qui fere similia loquuntur [4], Guillelmo, acceptorum beneficiorum memores, dona offerunt aut saltem eum onerum volunt [5] esse immunem. Per librum rationis aliarum gratiarum certiores facti sumus : anno 1301°, prior Sancti Dionysii de Carta Parisiensis, Guillelmum, acceptis tantum 25 libris, liberat 45 libris, 3 solidis, 9 denariis, debitis sibi propter hoc quod domum quamdam sitam in censiva prioris, in via Cervi, emerat a quodam Johanne de Buciaco 500 libris [6]. Tribus post annis, Petrus de Gargiis remisit eidem pecuniam debitam titulo venditionis, revenditionis et saisinæ, ex emptione cujusdam vineæ quam Guillelmo de Erqueto vendiderat Guillelmus de Ermenonivilla [7].

Sunt quoque in libro rationis multorum amicorum nomina, nec desunt vestigia beneficiorum a Guillelmo

1. De ipso, cf. B. N., lat. 9783, fol. 101.
2. 21ª julii, anno 1300°, A. N., S 1542ᴬ, fasc. 2.
3. 18ª octobris, anno 1301°, A. N., S 1542ᴬ, fasc. 2 et 8.
4. Garnetus de Ulliaco, cancellarius ecclesiæ Sancti Fursii Peronnæ; Maria de Pratis, uxor Johannis de Erqueto; abbas Virziliacensis, etc., A. N., S 1542ᴬ⁻ᴮ.
5. *Ibidem, passim.*
6. V. fol. 16 et 39 v°.
7. V. fol. 18.

in eos collatorum. Nonnullorum nuptias celebratas commemoravit, quos amicos ei fuisse existimare licet : ita notavit nuptias Agnetis, filiæ Guillelmi « Billebout [1] », quæ soror curati Clastrorum erat, deinde nuptias filiæ Petri Michaelis de Nulliaco [2], filiæ quoque Robini Lemonnier [3], nec omisit Bertham de Nulliaco [4], camerariam suam, quæ Eustachium de Blanicurti Erqueti desponsavit anno 1299°, mense julio [5], et plures alias quas annumerare vanum esset [6].

Clericis multis favit Guillelmus, imprimis suis, quorum unus, Johannes de Montataira [7], cujus mentio est anno 1290°, factus curatus loci dicti « Crouy » in Thella, missam primum celebravit [8] die dominica ante festum Omnium Sanctorum anno 1297°. Alter, Guillelmus de « Buisson [9] », anno 1304°, Johanni successit, sed nescimus quid de eo factum fuerit. Semper igitur inscripsit cum cura singulari Guillelmus dies quibus clerici, quos dilexit, primum sacram missam peregerunt. Rem hanc notavit de Girardo, reginæ clerico [10], de

1. V. fol. 11.
2. V. fol. 14.
3. V. fol. 15.
4. V. fol. 25; cui Guillelmus fere xx l. par., et iv l. par., acceptas a Renaudo de Nantolio, quondam episcopo Belvacensi, dedit.
5. *Ibidem*.
6. Cf. alia matrimonia notata in fol. 16 v°, 17 v°, 20, 21 v° et 25.
7. V. fol. 11. — Reperta quoque est (fol. 79) mentio mulieris cujusdam in famulam a Guillelmo de Erqueto acceptæ, cujus nomen deletum est.
8. V. fol. 13.
9. V. fol. 18.
10. 1ª die julii anno 1302° ; v. fol. 16 v°.

Roberto de Erqueto, qui missam confecit in Sancta Capella Parisiensi[1], de Radulpho Parisiensi, qui rem divinam in ecclesia Sancti Germani in Pratis[2] operatus est[3]. Primæ vero missæ Johannis, abbatis de Sancto Vincentio Silvanectensi[4], qui, cum primum missam celebravit, duodecimum tamen annum abbatiam regebat, particeps fuit Guillelmus, qui die illa in sumptus festi non minus quinquaginta libris impendit.

Dies quoque inscriptos servavit quibus amici nonnulli vestem monasterialem aut vitam susceperant : id reperimus de Johanne[5], filio Colardi « Aupes », qui introivit in monasterium Sancti Luciani Bellovacensis ; id de Theobaldo Coustant[6], monacho apud Sanctum Petrum de Ferreriis, cui 20 libras, 17 solidos, 11 denarios parisiensium dono dedit ; id quoque de filia Johannis de Freneio, monacha Lilii prope Meledunum[7], et de sorore (non est eadem de qua jam diximus) curati Clastrorum[8], et de aliis multis[9].

De genere autem Guillelmi hæc nobis comperta sunt : non fuit de loco nobili ortus[10], sed humili potius,

1. 9a maii, anno 1303o ; v. fol. 17.
2. 17a aprilis, anno 1306o ; v. fol. 19.
3. 25a martii, anno 1305o ; v. fol. 18.
4. V. fol. 18.
5. V. fol. 11.
6. V. fol. 11 vo.
7. V. fol. 13.
8. V. fol. 13.
9. V. fol. 13 vo et 16 vo.
10. Cf. chartam regiam datam mense maio anni 1294, A. N., S. 1542A, fasc. 8 ; S 1542B, fasc. 2.

quanquam rem aliquam familiarem hæreditate accepit. Parentes nomine dicebantur Guillelmus « le Boscheron [1] », et « Hersens [2] ». Errat « Coustant d'Yanville [3] », qui putat ex nominum similitudine Guillelmum Johanni de Erqueto, domino ejus villæ, sanguine conjunctum ; nec satis consideravit a qua origine nomina venerint : nam dominus Erqueti, et tota gens ejus, illius vici nomen, quod erant domini de Erqueto, sibi induerunt ; nec tamen inde appellatio hæc fuit eis pro nomine gentilicio, sed pro cognomine quodam, ut ita dixerim, ad conditionem eorum et officium bene significandum suscepto. Nemo enim illis temporibus nomine gentilicio usus est : Guillelmus autem verba « de Erqueto » nomini suo adjecit quia ibi natus fuerat, et ut se a ceteris regis clericis, eodem prænomine appellatis, separaret [4].

Ex sororibus Guillelmi, una, Isabellis de Mesniletto prope Chambliacum, anno 1306°, 13ª die maii, mortua est [5] : quæ tres filias pepererat, Epiphaniam majorem natu, et duas juniores quæ eodem nomine « Marion » erant appellatæ. Epiphania prius Johanne-

1. 19ª julii, anno 1300°, A. N., S 1542ᴬ, fasc. 8 ; cf. fol. 37 v°.
2. Quæ obiit 23ª aprilis, anno 1288°, cf. fol. 10 v°.
3. In vita Guillelmi quam edidit in « *Mémoires de la Soc. académique de l'Oise* ».
4. Nonnulli enim appellabantur sic : « Guillelmus » cum vici natalis nomine. — Nullo vinculo propinquitatis Guillelmum nostrum contingit « Magister Johannes de Ercheyo, decanus ecclesiæ Noviomensis », de quo mentio fit non semel (*Gallia Christiana*, IX, c. 1304 ; A. N., JJ42ᴮ, n° 106) ; ejus enim nomen nunquam in libro reperimus.
5. V. fol. 19.

tum de Sommecestro desponsavit, pannorum mercatorem, et tunc ab avunculo vasa nonnulla dono accepit[1]. Vidua autem facta, anno 1306°, Epiphania[2] secundum nupsit[3], cui tunc Guillelmus pateram argenteam dedit, sex libris emptam, et in cœnam nuptiarum 24 solidorum impensam fecit. Sed multo liberalius cum utraque Marione egit : uni earum, quando anno 1306° nupsit Simoni Parmentario de Cauviniaco[4], vestes, pecuniam et agros dedit, non minoris 306 libris parisiensium æstimandos[5]. Alteram duxit uxorem Parisiis, mense junio anni 1310[i], Oudinus de Pissiaco : nuptiæ Guillelmi sumptibus celebratæ donaque varia ab eo data, quorum bis in libro pars relata est[6], 225 libris, 4 solidis, 4 denariis et 1 duplice parisiensium constiterunt.

Insuper alias duas ei fuisse neptes scimus : Aalem, cujus vir, Robertus Dauvetus de Belliaco, anno 1310° defunctus, Nuviliaci in Thella[7] depositus fuit ; Agnetemque, in Domum Dei Pontisaræ[8] anno 1289° acceptam, ubi post quinque annos vestem monachæ[9] induit. Consobrinæ denique Margaritæ, filiæ Bertæ Floridæ, nubenti subvenit[10].

1. V. fol. 14.
2. V. fol. 18 v°.
3. V. fol. 20.
4. V. fol. 20.
5. V. fol. 19 v°, 20 v°, 22 v°.
6. V. fol. 22 et 28 v°.
7. V. fol. 22 v°.
8. V. fol. 11.
9. V. fol. 25.
10. V. fol. 10 v°.

Nepoti suo Guillelmo Parenti qui vita decessit[1] 27ª die januarii, anno 1307°, præbendam obtinuit Guillelmus de Erqueto in ecclesia Sancti Petri Laudunensis[2]; cujus etiam fratri Theobaldo, canonico Sancti Jacobi Provinensis, dedit breviarium emptum de magistro Petro de Orgemonte, quod constitit 6 libris et 4 solidis parisiensium[3].

Patrinus autem nonnullis infantibus baptizandis adfuit, quod ei plerumque contigisse, verisimile est, factæ liberalitatis causa; qui idem nomen ab eo acceperunt : Guillotus, filius Johannis Caponis; Guillotus, secundus filius ejusdem; Guillotus de Picis, Guillotus, filius Jacobi de Creveriaco; Guillotus, filius Ricardi de Vuidone. Duas vero filias, unam Guillelmam, alteram Guillemettam in baptismo appellavit : prior erat filia magistri Evrardi pictoris, posterior autem filia Simonis præpositi, de Silvanectis, clerici. Notanda hic nobis videtur consuetudo illorum temporum qua patrinus filiolo suo semper proprium nomen imponebat, magno sæpe incommodo cum jam alius puer eodem nomine erat appellatus : sic de duobus Marionibus supra nominatis. Ex alio autem usu patrinus plerumque duo vel tria cochlearia dabat.

In libro rationis Guillelmus multa potissimum de propriis consuetudinibus tradidit et de proprio vivendi modo quæ ad mores ætatis hujus et instituta cogno-

1. V. fol. 19 v°.
2. V. fol. 14 v°.
3. V. fol. 15 v°.

scenda magnam utilitatem conferunt. Accepta enim ab illo et expensa annis singulis novimus ab anno 1303° ad annum[1] 1312um et fructus ex ejus beneficiis captos[2]; addidit computationem pecuniæ quam circa annum 1305um possidebat[3]. Indicat similiter pretium rerum diversarum quas emit ad capellam ædificandam aut ad dona facienda aut ad usum proprium : cibaria, vasa, equos plures[4], et cetera, quæ accurate nunc eruditi historiarum scriptores quærunt et notant[5]. Ad libros solummodo animum attendamus : anno 1295°, epistolas Sancti Pauli et alia opuscula[6] emit ; anno 1296°, Summam Gaufridi de Traniaco[7] ; anno 1300°, sex libros de jure et volumen unum Decretalium, quorum nonnullos vendidit, anno 1303°, magistro Johanni de Ulliaco, filio Garnerii de Ulliaco[8]. In testamento autem præcipit ut illi qui extrema mandata sua exsequentur heredibus magistri Petri de Ronquerollis et magistri Petri Carpentarii de Bruyeriis pecuniam solvant pro tribus libellis inter quos erat tractatus

1. V. fol. 8.
2. V. fol. 8.
3. V. fol. 65.
4. V. fol. 17, 19, 20 et 21 ; L. Delisle, *o. c.*, XXXII, p. 160.
5. Quibus primum studuit L. Delisle, in libro : *Étude sur la condition de la classe agricole et l'état de l'agriculture en Normandie au moyen âge* (Evreux, 1851, in-8°). Recentius multa de his notata collecta sunt in hoc libro : A. d'Avenel, *Histoire économique de la propriété, des salaires, des denrées, etc. de 1200 à 1800* (Paris, 1894, in-8°).
6. V. fol. 13.
7. V. fol. 15 v°.
8. V. fol. 17.

Bernardi de Parma de Decretalibus[1]. Mentio denique est trium breviariorum ex quibus duo ad usum capellæ[2] empta sunt, nec minoris quam triginta quinque libris constiterunt, tertium autem datum est Theobaldo Parenti[3].

Plures domos habuit : emerat, anno 1301°, domum sitam Parisiis, in via Cervi[4], in qua habitabat cum abbatem Sanctæ Genovefæ patronum et protectorem esse voluit prioratus quem Erqueti[5] instituerat. Gargiis, in agro dato a rege, forisfacto super Philippum Trichartum, villam ædificavit[6] quæ 551 libris, 10 solidis et 4 denariis constitit. Duarum quoque domorum reditus percipiebat quorum major prope Parvum Pontem Parisiis sita erat[7].

1. A. N., S 1542[B], fasc. 2; *Mémoires de la Société académique de l'Oise*, V, p. 547.

2. V. fol. 13 v° et 14.

3. V. fol. 15 v°.

4. V. fol. 16 et 39 v°. Attamen nomen istud non potest reperiri in rotulo auxilii Parisiis percepti anno 1313° pro militia regis Navarræ, Ludovici, filii Philippi Pulchri.

5. A. N., S 1542[A], fasc. 8; S 1542[B], fasc. 2; *Mémoires de la Société académique de l'Oise*, V, p. 561.

6. V. fol. 13 v°.

7. V. fol. 16. Sic citatur in libro rationis, fol. 64 v°, census majoris domus : « Mestre Pierres Alixandre le Danois, clerc, pour sa meson qui fu du dit mestre Guillaume de Erquez, seant a Paris outre Petit Pont, mouvant de la censive Saint Benooit le Bestorné de Paris, joignant a l'opital de Paris d'une part, et a la meson Guales Harenc d'autre, aboutant a la rue qui joint au cymetire du dit Saint Benooit, laquele meson o toutes les appartenances li diz mestre Guillame bailla et otroia a touz jours mes a Pierre Rohes le maçon de Paris et a Luce sa femme et a leur hers, en l'an nostre Seigneur MCCC et trois, le vendredi en la veille de saint Andreu l'apostre, a c s. de parisis de annuel et perpetuel cens. Laquele

Sed in vico præsertim in quo natus fuerat amplas ædes possidere voluit et ibi construxit, anno 1292°, « magistrum manerium[1] », in cujus opere 889 libras, 6 solidos, 6 denarios expendit. Die vero qua primum ædes illas introivit, Guillelmus 71 libras, 8 solidos, 8 denarios insumpsit in festa præter panem, aves et fructus[2], quibus enim domus abundabat. His autem ædibus capellam adjunxit, anno 1293°, quæ, præter lignum, 87 libris, 16 solidis constitit[3]. Tandem duobus post annis ædificare capellam majorem et capellaniam condere voluit : a Bonifacio VIII°, summo pontifice, hanc licentiam 1ª die julii, anno 1295°, obtinuit[4], quam confirmavit Clemens V[us][5], anno 1306°. Illo enim tempore capellam majorem quam ædificare animo antea proposuerat, construxit, et locum olim emptum ad constructionem prioris capellæ vendidit[6], in loco recentius electo[7] capellam conditurus.

meson o les appartenances li diz Pierres et Luce, sa fame, vendirent et quiterent a touz jours mes, l'an nostre Seigneur MCCC et sis, au dit mestre Alixandre et a ses hers c s. parisis, c'est assavoir a chacun des IIII termes devant diz, XXV s. »

1. V. fol. 26.

2. V. fol. 24 v°.

3. V. fol. 23 v°.

4. Digard et Faucon, *Les Registres de Boniface VIII*, c. 75.

5. In testamento inserta est bulla Clementis V[ti], cf. *Mémoires de la Soc. académique de l'Oise*, v. p. 435.

6. V. fol. 16.

7. 1ª die martii anni 1298ᵢ, a Johanne de Erqueto, domino ejusdem villæ gratis et perpetuo jure obtinet : « quamdam plateam, duas virgas vel circiter continentem, contiguam parrochiali ecclesie de Erqueto ex una parte, et cimiterio ville ex altera, situatam inter curtem et curtillum predictorum Alinandi et uxoris sue, pro quadam

Hujus ædis primum lapidem [1] 26ª die septembris, anno 1300°, posuit, et totum opus, cui magistrum Alphonsum de Villaribus præfecerat [2], pluris 1.100 libris constitit, quibus addere oportet 1.205 libras cum 5 solidis et 9 denariis in domum capellanorum expensas [3].

Hunc igitur prioratum Guillelmus condidit et beato Ludovico dicavit, nec majus quidquam per totam vitam suscepit. Requiremus infra quæ bonorum ejus fuerit fortuna : ædium ab eo ædificatarum pars exigua forsitan subsistat, de qua etiam ambigitur [4].

capella construenda et fundanda in eadem pro remedio anime sue et pro salute animarum parentum, benefactorum et omnium predecessorum suorum, nos attendentes et considerantes affectionem puram et rectam intentionem quam idem magister Guillelmus habere dinoscitur erga matrem ecclesiam, et ad divini cultus augmentationem, volumus et ex nunc concedimus et quantum ad nos pertinet consentimus, intuitu pietatis et pro remedio animarum nostrarum et parentum nostrorum, quod eadem platea sicut se comportat et extendit in longum et in latum, et circiter quatuordecim tesie in longitudine et circiter sex pedes in latitudine, curtis Petri, filii defuncti Droconis de Foulengiis, moventis de dominio prefati magistri Guillelmi, quam ab ipso Petro et ejus uxore similiter acquisivit pro quodam deambulatorio faciendo, per quod ad capellam ipsam perpetui capellani, qui in eadem pro tempore fuerint instituti, poterunt ire liberius et liberius redire... » A. N., S 1542ᴮ, fasc. 3.

1. V. fol. 15 v°.

2. V. fol. 26.

3. V. fol. 26 v°.

4. « La chapelle d'Ereuis n'existe plus, cependant on croit la reconnaître dans le bas-côté droit de l'église d'Ereuis, du côté de la place... ; le siège du prieuré était dans une ferme appelée aujourd'hui de Saint-Nicolas », Coustant d'Yanville, *Mémoires de la Soc. académique de l'Oise*, V, p. 541-544. — Quæ capella, anno 1619°, spoliata fuit et nudata, A. N., S 1542ᴬ, fasc. 7.

Morbo jam confectus et lectulo jacens[1] ad se abbatem Sanctæ Genovefæ vocavit ut traderet ei prioratum; qui litteras recitavit quibus capellam se accipere profiteretur et operam daturum ut rerum divinarum curam in ea sacerdotes in posterum haberent[2]. Eadem die, scilicet 13ª die julii, anno 1314°, Guillelmus testamentum suum dictavit[3], quod scripserunt duo notarii officialis Parisiensis. Quod testamentum pluribus bonis viris credidit ut mandata implerent, scilicet abbati Regalismontis, priori et subpriori Vallis Scolarium Parisiensis, magistro quoque Johanni de Sancto Justo, clerico Cameræ Computorum, Roberto, canonico Melloti, capellano perpetuo in capella regis Gouleti, Johanni majori de Plexeio, magistroque Johanni, ejusdem filio, legis professori et canonico Sancti Laurentii Belvacensis[4].

Majorem bonorum partem capellæ suæ, quæ erat Erqueti, tradebat. Cetera autem dona non enumerabimus, quæ, ex consuetudine hujus temporis, per-

1. A. N., S 1542ᴬ, fasc. 8; S 1542ᴮ, fasc. 2; Coustant d'Yanville, *o. c.*, V, p. 561.

2. *Ibidem.*

3. A. N., S 1542ᴮ, fasc. 2; Coustant d'Yanville, *o. c.*, V, p. 545, sed hic sex legata omisit interposita in testamento inter donum ecclesiæ Milliaci et donum Domui Dei Belvacensi oblatum, quæ sequuntur :

« Item clerico ejusdem ecclesie sex den. par.
Item Perroto de Milliaco, clerico, triginta sol. par.
Item fabrice ecclesie Beate Marie de Chambliaco viginti sol. par.
Item Domui Dei ejusdem loci quinque sol. par.
Item leprosarie ejusdem loci quinque sol. par.
Item fabrice ecclesie Belvacensis decem sol. par. »

4. *Ibidem.*

multa sunt et diversis admodum data; quorum summa, præter bona immobilia, vasa et annuas pecunias in varios fines constitutas, 340 libras superavit. Perrettæ de Mesnilio sex arepennes terræ legabat; Sainteronæ Baidouele decem, Johanni fratri ejus duos; Guilloto, filio Johannis Caponis, quinque; Johanneto de Sancta Genovefa, bona empta de Simone de Tronqueio, et Aelipdi de Colonia bona sua Gargiis sita[1].

Paucis post diebus probabile est mortuum fuisse Guillelmum de Erqueto: at certe, die 25ª junii, anno 1316°, jam vita decesserat, cum Ludovicus, filius primogenitus Roberti, comitis de Claromonte, licentiam tunc litteris dederit in manu mortua[2] ingrediendi in possessionem capellæ, bonorum et jurium variorum a Guillelmo prius possessorum cum Erqueti tum alibi, et eorum quæcumque ad prioratum condendum et perpetuo constituendum legavisset.

1. *Ibidem.*
2. A. N., S 1542ᴮ, fasc. 2.

CAPUT SECUNDUM

DE LIBRO RATIONIS

Postquam consideravimus res gestas a Guillelmo de Erqueto, quarum memoria ad nos usque, seu per librum rationis, seu per alia documenta devenit, nunc libro ipsi studendum est, cujus exploratio argumentum hujus thesis et quasi materia est.

Supersunt septuaginta novem folia in illo membraneo codice, qui antiquum suum tegumentum adhuc habet; sed plura folia, secundum, tertium, tricesimum sextum, septuagesimum octavum et maxime extremum, tractationis vel humoris causa, sunt corrupta. Folia hæc 250 aut 260 « millimètres » longa sunt et hæc lata 160 aut 180 « millimètres ».[1] Nec manus una totum librum conscripsit : primus auctor a folio decimo ad tricesimum quintum, aliquasque notas insuper in sexto et octavo folio scripsit ; alius a folio tricesimo septimo ad folium quinquagesimum primum, a quinquagesimo sexto ad sexagesimum quartum et a septuagesimo octavo in verso

1. Confer descriptionem hujus codicis in « *Catalogue des manuscrits de la Bibliothèque Sainte-Geneviève* », Ch. Kohler, II, p. 243.

ad septuagesimum nonum ; alius hæc folia : secundum in verso, quartum, septimum in verso, octavum in verso, sexagesimum quartum in verso et septuagesimum octavum, qui documenta non pauca retulit ; alius folium nonum et sexagesimum sextum ; alius a folio quinquagesimo primo ad folium quinquagesimum quartum ; idem passim aliqua verba addidit. Sunt tandem brevia annotamenta a diversis subscripta ; et quibusdam illorum additamentorum exceptis, major pars libri scripta est inter annum 1311^{um} et annum 1320^{um}.

Unum scriptorem novimus, Johannem de Roquemonte scilicet, qui circa annum 1369^{um} et 1372^{um} bona prioratus Erqueti administravit et propria manu in folio secundo in verso, in sexagesimo nono in verso, in septuagesimo secundo in verso, in septuagesimo tertio in verso, in septuagesimo septimo et nono, nomen suum aut brevia de bonis prioratus indicia consignavit. Ex his conjicere licet majorem codicis partem a tribus clericis Guillelmi esse conscriptam et aliquas paginas passim aliorum additamentis auctas esse [1].

Ne quis tamen hinc existimet libro, majore saltem ex parte, singulis diebus hoc vel illud fuisse mandatum. Quæ enim refert fuerunt circa annum 1312^{um} translata [2] e variis codicibus in quibus relata erant

1. Nec omittenda sunt nomina duorum aliorum qui librum possesserunt : frater scilicet « Thomas Le Boulleur » et frater « Anceau Langlois », cf. fol. 2 et 79 v°.

2. Exempli causa, in fol. 23 : « somme du coust... par les parties contenues ou registre du dit Guillaume » ; fol. 24 : « somme du

accepta in domo Guillelmi et expensa. Ille ea solum quæ esse memoria digna viderentur libro rationis clericos jussit inserere; de re ista plura in libro documenta controversiam esse non sinunt. Hunc igitur codicem scriptores appellare diarium jure optimo non poterunt.

De ipso volumine satis est: jam aliquid dicendum est de indiciis quæ investiganti librum obeunt de rebus hac ætate gestis, de re rustica, de rerum pretiis, de moribus tandem et consuetudinibus [1] quas Guillelmi æquales tenerent.

Primo annumerare per annos juvat quæ de illorum temporum eventis publicis reperiuntur:

1° Bella Philippi III[i] adversus Aragones (1284) Philippique IV[i] adversus Flamingos (1297) [2].

2° Incendium ingens quod Parisiis incepit 26[a] die decembris et plures dies exarsit [3].

3° Sorores ordinis Sancti Dominici in monasterium Poissiaci a rege ædificatum introeunt [4], 21[a] die junii, anno 1304°.

4° Pugna ad « Mont en Poievre » commissa [5].

coust du puiz de ce manoir dont es parties sont contenues ou registre du dit Guillaume »; similes mentiones sunt in fol. 24, 24 v°, 25, 25 v°, 26, etc. passim.

1. V. fol. 6 v°, ubi Guillelmus refert licentiam ab officiali concessam in domo propria sponsalia despondentium celebrandi.

2. V. fol. 10 et 13.

3. V. fol. 16.

4. V. fol. 17 v°; cf. *Chroniques de Saint-Denis*, *Hist. France*, XX, p. 677; Cont. de Nangis, XX, p. 590, qui cum Guillelmo consentiunt.

5. V. fol. 17 v°.

5° Electio magistri Guillelmi de Oriliaco[1], clerici et medici, in Parisiensem episcopum, qui consecratus est sexta die januarii, anno 1305°.

6° Obitum Guidonis, comitis Flandriæ[2], in carcere castelli Pontisaræ, notat Guillelmus de Erqueto ut 15ª die martii anni 1305i factum. — Hic cum illo ceteri rerum scriptores non consentiunt, neque de loco neque de die, quæ recentiores explanarunt[3].

7° Obitus reginæ Johannæ, uxoris Philippi Pulchri, et electio Clementis Vti summi pontificis[4].

8° Obitus Guidonis, episcopi Silvanectensis, et electio Guillelmi de Berone in episcopum Silvanectensem[5].

9° Parisiis « Granz venz qui moult de maulz fist[6] ».

10° Obitus Parisiis, in domo Meldensis episcopi, juxta ecclesiam Sancti Pauli, Yolæ comitissæ de Dammartino, 13ª die aprilis anno 1310°; quæ deposita est in ecclesia monacharum de Gomerifonte prope Calvummontem in Vulcassino[7]; hæc omnia quæ antea incognita erant docet nos solus Guillelmus.

11° Translatio in ecclesiam Sancti Germani Autissiodorensis Parisiensis, sudarii Sancti Germani[8], quondam Autissiodorensis episcopi, notata est 12ª maii, anno 1310°.

1. V. fol. 18; cf. Jean de Saint-Victor, *Hist. France*, XXI, p. 642.
2. V. fol. 18.
3. Funck-Brentano, *Philippe le Bel en Flandre*, p. 498.
4. V. fol. 8, 8 v°, 18 v°, 19.
5. V. fol. 20 v° et 21, cf. *Gallia Christiana*, X, c. 1422.
6. V. fol. 21 v°.
7. V. fol. 22.
8. V. fol. 22.

12° Tandem ultimum supplicium plurium Templariorum igne combustorum, quorum quinquaginta quatuor Parisiis, prope ecclesiam Sancti Antonii et novem Silvanectis[1]; et paulo postea Parisiis[2] quinque, inter quos Johannes de Taverniaco, olim eleemosynarius regis Philippi, quæ ceteris rerum historicarum scriptoribus similiter notatæ sunt[3].

Librum rationis in tres partes dividere possumus, neglectis nonnullis chartarum exemplaribus, formulis, notisque diversis ad usum Guillelmi :

1° A fol. 10° ad 22^{um}, reperire licet quæ excerpta sunt a codicibus rationum ab anno 1284° ad annum 1310^{um}. Res ordine temporum dispositæ sunt, ex quo totus liber, propter hanc primam partem, nomen « diarium[4] » accepit pluries; ibi Guillelmus commemorari jussit quæ de genere suo, de amicis, rebusve publicis supra indicata sunt.

2° A fol. 23° ad 35^{um}, series expensarum ab anno quoque 1284° ad annum 1310^{um}, sed jam dispositio fit ordine rerum, non temporum. Reperimus hic quæ spectant ad festa, ad ædificationem capellæ et ædium apud Erquetum et Gargias sitarum, ad expensas in causis judiciariis, et cetera. Brevius deinde annumerantur harum expensarum summæ (fol. 34°).

1. V. fol. 22.
2. V. fol. 22.
3. Cf. Cont. de Nangis, *Hist. France*, XX, p. 600-601; Girard de Frachet, XXI, p. 25; Jean de Saint-Victor, XXI, p. 655; Anonyme, XXI, p. 140.
4. Cf. *Gallia Christiana*, X, c. 1422; alias « journal », A. N., LL 1445, et Bibl. Sainte-Geneviève, ms. 785, p. 197

3° A fol. 37° ad 77ᵘᵐ, descriptio bonorum omnium quæ erant Guillelmi aut in quæ jus aliquod exercebat: simul onera, fructus et pecunia nondum soluta Guillelmo commemorata sunt.

Attamen rebus istis addita aut mixta documenta despicere non licet, quorum nonnulla maximi momenti sunt. Primo Guillelmus, non oblitus se diu notarium in cancellaria regis fuisse, varias formulas [1], ut usus erat, et chartas etiam integras, quibus postea uti posset, cum nominibus et diebus transcripsit [2]. Nomina eorum tantummodo qui has sigillaverunt annumeramus: abbas Gemmeticensis [3], Girardus de Diluvio [4], Johannes de Erqueto [5], officiales Remensis [6] et Parisiensis [7], Martinus IVᵘˢ [8] et Benedictus XIᵘˢ [9], abbas Sancti Dionysii in Gallia [10], Philippus IVᵘˢ rex [11], ipse Guillelmus de Erqueto [12]. His documentis alia quoque addenda, non jam eorum similia, sed notæ indigestæ: parœciarum series, monasteriorum et aliarum ecclesiarum in archidiaconatu Therascæ, Laudunensis diœce-

1. V. fol. 2 v°, 6, 6 v°, 77, 78.
2. V. fol. 2 v°, 3, 5, 5 v°, 6 v°, etc.
3. V. fol. 3.
4. V. fol. 5.
5. V. fol. 5 v°.
6. V. fol. 6.
7. V. fol. 2 v°, 78.
8. V. fol. 7.
9. V. fol. 7 v°.
10. V. fol. 5, 9.
11. V. fol. 6 v°, 78.
12. V. fol. 2 v°, 6 v°, 36 v°.

sis[1]; medicamentum etiam ad æstivos menses salutare[2].

Sed liber rationis maxime utilis est requirenti quem modum tunc tenerent colendi agros, quod fuerit rerum pretium[3] per diversa tempora, quibus men-

1. V. fol. 35 v°.
2. V. fol. 2 v°.
3. De expensis ad ædificationem spectantibus et de rerum pretio quibus usus est, cf. exempli causa computationem quæ sequitur :

« C'est le compte Jehan Billouart des sommes que il a fet venir a Saint Oyn dou commandement monseigneur de l'an MCCC et sis.

Pour IIc et X charretées de foin randues au port de Saint-Oyn, livrées a Pierre de Cuyvrel, au Chenay d'ilec, pour chascune charretée LXVI s., VI d., valent VIc IIIIxx XVIII l., V. s. p.

Pour deniers bailliez a Pierre de Cuyvrel pour descharger les diz foins XXV l.

Pour deniers deuz a Billouart, dou compte de la guarnison des foins de l'autre année XII l.

Pour les despens de Jehan Billouart a ce faire XV l.

Somme de tout ce VIIc L l., V s. p.

Sur ces choses dessus dictes a receu li diz Jehanz Billouart IIIIc l. par., par mestre Jehan de Condé, demeure que l'on li doit IIIc L l., V s. par.

C'est le compte de la meson faite nouvelement a Tournant.

Pour le merrien de toute la meson assouvir, achaté de Guillaume Lempereur, randu sus le leu, VIIxx l. p.

Pour le maçonnage de la dicte, pour pierre, pour chaus et pour sablon, pour tout ce assouvir VIIIxx l. p.

Pour la charpenterie L l. p.

Pour XXVM et demi de tille, randue sus le leu, XLVIII s. pour chascun mille, valent LXI l., IIII s.

Pour XVIIIM de clo, randu au leu, XI s. pour mil, valent IX l., XVIII s.

Pour couvrir la dicte meson, latte contre latte, et mestre la tille en haut, pour tout ce XI l.

Pour III setiers de platre a affeter la ditte meson XXI s.

Pour curer la cave de la dicte meson et pour ramplir par dessus et pour faire leire, pour tout baillié en tache XII l.

Pour les ferreures des fenestres d'ilec, pour gons, pour vertenelles

suris[1] uterentur et nummis. Nec de monetis omittendæ sunt mentiones multæ passim conscriptæ, ex quibus utilissima historiarum scriptori reperitur in fol. 65°. Hic enim descripti sunt nummi quos habuit Guillelmus, nescio quo anno, probabiliter anno 1305°. Summa pecuniæ non minor est 2.033 libris, 15 solidis, 4 denariis debilis monetæ, quæ tantum 664 libras, 18 solidos, 4 denarios fortis monetæ adæquant : sic igitur noscimus monetam debilem vix pro tertia fortis monetæ parte valuisse[2]. Quid autem ex mutationibus illis monetarum, quæ tam multæ, Philippo Pulchro regnante, exstiterunt, ad bona Guillelmi fuerit consecutum, scire facile est, si monetæ anni 1305[i] cum monetis anni 1310[i] conferantur[3].

Ex his quæ spectant ad fruges et ad rem rusticam, computationes duæ imprimis sunt considerandæ. Primo relata sunt a Guillelmo expensa propter ovium

et pour verrous, cles et serreures, pour i grant... de voirre, assis ou pignon, pour tout xxiiii l.

Pour despens feiz par Jehan Billouart aus choses desus dittes faire et manbournir x l.

Somme iiii^c lxxix l., iii s. p.

Sus ce il a receu xii^xx l. p. sus les subvencions de Tournant.

Demeure que l'en li doit au dit Billouart, toutes choses contées, v^c lxxix l. p. » B. N., fr. 25992, fol. 120.

1. Quæ de diversis mensuris relata sunt, quibus utebantur in locis Erqueto vicinis, Chambliaci, Melloto, Gargiis, Noisiaci, etc., cf. passim in libro. Hic observanda maxime illa verba de agro quodam : « duas virgas vel inciter continentem... quatuordecim tesie in longitudine et circiter sex pedes in latitudine... » A. N., S 1542^B, fasc. 3, v. supra, p. 30, nota.

2. V. fol. 30 v°.

3. V. fol. 30 v°.

greges et fructus ex his accepti : grex quidam, quem Guillelmo vendiderunt viri quibus testamentum suum adimplendum crediderat magister Johannes de Bullis, archidiaconus Magni Caleti in ecclesia Rothomagensi[1], ab anno 1293° ad annum 1310^{um} ad oves comparandas et pascendas 310 l. constitit; attulit autem 467 l., 16 s., 10 d. Similiter in folio 33°, in tergo, fructus cujusdam silvæ cum expensis collati sunt. Tandem notare debemus consuetudinem maxime ad utilitatem sanitatis publicæ spectantem, quæ sic notata est de porcis emptis in Silvanectensi feria : « pour les guarder es langues, VI sols[2] ».

Nec domos solum, annuas pecunias et agros possessit Guillelmus, molendinum quoque construxerat ex materia a rege data[3]. In hoc ædificando expendit 286 l., 15 s., 7 d. par., ab anno 1290° ad annum 1308^{um} ; molæ autem a die decima mensis augusti, anno 1290°, qua primum moveri cœperunt, ad diem decimam augusti, anno 1310°, attulerunt 480 l., 11 s., 8 d. par., lucrum domino non modicum[4]. Rex vero materiam dederat non ad totum opus tantummodo fabricandum, sed et restaurandum et fulciendum[5] ; itaque in libro servata est formula ad materiam illam a custodibus silvæ Halatæ per ballivum Silvanectensem

1. V. fol. 25 v°,
2. V. fol. 20. Hodie gallice « langueyer ».
3. V. fol. 23.
4. V. fol. 23.
5. Litteris datis mense januario anni 1298, A. N., S 1542^{A}, fasc. 8 ; S 1542^{B}, fasc. 2 ; cf. supra, p. 9.

requirendam, cum viginti vehibus ligni comburendi quotannis dandis. Sed post centum annos circiter, statutum fuit a Camera Computorum ut prior Erqueti, Guillelmi heres, cum infinitum jus materiæ pro molendino renuntiaret, loco juris istius viginti vehes stipitum acciperet, quæ quatuor molarum materiam singulæ continerent, et jus pascendi duodecim porcos in silvis Cuisiæ et Halatæ[1]. Jam prioratus, ut probabile est, parvos fructus e molendino suo ferebat, maluitque prior jus utile quam materiam molendino parum fructuoso destinatam. Mentio enim est in litteris datis anno 1491°, tertia decima die augusti, arepennis cujusdam agri « ouquel une mote ou place en laquelle jadiz souloit avoir ung molin a vent appartenant au dit prieuré »[2].

1. A. N., 1542ᴬ, fasc. 10; quæ litteræ renovatæ fuerunt nona die februarii, anno 1626°, A. N., S 1542ᴬ, fasc. 10. — Paulo post prior idem molendinum in firmam tradidit, A. N., S 1542ᴬ, fasc. 14.

2. A. N., S 1542ᴬ, fasc. 3; cf. fol. 37 v° : « a mestre Huitace de Nully, chanoine de Senliz, pour III quartiers de terre seant delez le moulin a vent du dit mestre Guillaume »; v. quoque, fol. 68 v°, mentionem arepennis cujusdam agri in quo molendinum ædificatum est.

CAPUT TERTIUM

DE BONIS GUILLELMI DE ERQUETO

Superest nobis investigandum qui fuerit, Guillelmo vivente, status rerum ejus, quique postea usque dum agri omnes in dominium publicum, anno 1790°, transierunt.

Primo id observamus quod domini A. de « Dion[1] » studia in quemdam rationis librum huic nostro fere similem demonstraverunt : scilicet in regionibus illis feoda a pristino statu maxime mutata esse. Verba quidem eadem sunt : « feodum, homagium, dominus, vassallus, etc. » ; res autem minus cum XII° sæculo congruunt quam cum his quæ fient post trecentos vel quadringentos annos, cum feoda, in partes exiguas divisa, a viris nobilibus non semper possessa erant, sed sæpissime a divitibus burgensibus, a clericis aliisque hominibus pacificis et humili genere ortis.

Ita Erqueti dominus quidam reperitur, dictus Johannes de Erqueto, armiger et regis famulus ; cujus jura jam integra non sunt, sed pluribus divisa inter

1. *Un gros propriétaire au XIV^e siècle*, p. 4 et 19-20 (du tirage à part).

quos primum tantummodo locum obtinet. Alias enim Robertus dictus de Hamello, Rogerius Coutant, armiger, et Guillelmus Foucondus, clericus de Erqueto, Guillelmo concedunt quidquid dominii eis competit in nemus huic adjacens viæ qua itur ad « Crouy », quod fuerat olim defuncti Roberti Caponis de Erqueto[1]. Johannes de Erqueto altam justitiam habere videtur et jus confirmandi[2] mutationes, dona, venditionesque cum emolumentis sigilli, sed vectigalia vico imposita possidentur a viris supra nominatis. Sic legitur in libro rationis : tributum debitum « a la communauté des seigneurs de Erquez pour la moitié d'un arpent de bois[3], etc. ». Alibi reperimus seriem cui datur hic titulus : « cens des vignes deuz des personnes ci apres nommées, qui est commun aus seigneurs de Erquez, dont li diz mestre Guillaume prent les II parz de la moitié[4] ».

Guillelmus de Erqueto igitur possidebat jura et fructus cum aliis dominis Erqueti et cum eis quosdam quæstus dividebat ; et eos liber dominos appellat qui jura fructusque habebant ; tamen alia sunt indicia quæ melius etiam mutatam feodalitatem demonstrent. Sic in libri rationis exordio, Guillelmus ipse, quanquam de nobili genere

1. 18a julii 1300o, A. N., S 1542B, fasc. 3 ; cf. in tergo : « littera dominorum de Erqueto pro... » ; percipiebant ergo vectigalia nemoribus Erqueti imposita.

2. V. passim, A. N., S 1542A, fasc. 8 ; S 1542B, fasc. 2.

3. V. fol. 37 vo.

4. V. fol. 45 vo ; rursus citantur domini de Erqueto, fol. 19 vo et 21 vo.

non procreatus, homagia reddit et accipit. In fol. 4° enumerata sunt feoda quas tenet ipse a Johanne de Erqueto, domino vici, deinde feoda quæ dominus Guillelmus de Moncellis, miles, et Reginaldus de Douiaco a Guillelmo clerico tenent.

In verso autem ejusdem folii descriptum est feodum Noisiaci emptum a Simone de Tronqueio, armigero, et Ruecia, uxore ejus, quod Guillelmus tenebat a Girardo de Diluvio, armigero, cui 14ª die mensis septembris, anno 1309°, sacramentum fidei et homagium, præsentibus multis viris nobilibus clericisque, præstitit. Cui Girardo et Johanni de Erqueto pretium solvit equi debiti domino, ex consuetudine, die homagii, a viro feodum accipiente [1]. Paulo post Reginaldus de Orvilla [2] et Philippus « Maquainne » de Sancto Lupo [3], armigeri, nobilique genere orti, homines esse Guillelmi se confitentur propter quædam feoda. Comparare licet huic fidei præstationi illam similem quam in cartulario suo Johannes « Mignon », clericus Cameræ Computorum, regnante Philippo Pulchro, enodatius accurateque narravit [4]. A nobilibus igitur viris Guillelmus, clericus nec nobilis, nobilia feoda tunc habebat, et ipse viros nobiles ad fidem homagiumque admittebat.

De agris Guillelmi eorumque fructibus pars libri

1. V. fol. 5.
2. V. fol. 16.
3. V. fol. 17.
4. A. de Dion, *o. c.*, p. 13.

inter fol. 37um et finem inclusa multa documenta suppeditat : inutile visum est tot series ignobilium nominum incognitorumque virorum tradere. Excepto enim nomine magistri qui scholam Erqueti regebat et Robertus appellabatur[1], quid expedit scire nomina hominum humilium, pauperum et agrestium ? Itaque prætermisimus tertiam illam libri rationis partem quæ supra in libro distincta est. Sed si nomina illorum parvi facimus qui census Guillelmo solvebant, attamen non proposuimus animo has libri paginas omnino negligere nullumque in eis facere doctrinæ lucrum. Indicamus igitur quarum rerum in unaquaque serie sit mentio.

Series prima est censuum debitorum[2] Guillelmo pro agris, vineis, nemoribus pratisque ; secunda bonorum quæ Gargiis possidebat : agri arepennes undecim, unum quarterium cum quarterii medietate, duas cordas et duas domos[3]. Deinde caponum[4] a diversis personis debitorum : sed plerumque pecunia pro caponibus solvebatur. Sequuntur debita Guillelmo pro tuguriis et terris passim sitis[5], debitaque dominis Erqueti pro nemoribus[6] hujus vici, cujus reditus pars media redibat ad Guillelmum, scilicet 12 s., 4 d., ob. Postea enumerantur undeviginti homines qui pro tributo solvebant

1. V. fol. 45 v°.
2. V. fol. 37-39 v°.
3. V. fol. 40.
4. V. fol. 42 v°.
5. V. fol. 43.
6. V. fol. 45 ; quorum perceptio anno 1369° notatur fol. 69 v°.

quindecim solidos et quinque denarios dominis Erqueti[1], aliique solventes propter advocariam Erqueti undecim solidos; quæ advocaria[2] data erat mense julii anni 1290 a Roberto, comite Clarimontis[3]. Deinde notantur pecuniæ in varios dies solvendæ[4], pleræque autem in diem Nativitatis Domini[5]; tributa quoque pro avenis et nucibus Noisiaci[6] debita, scilicet triginta novem minæ, septem buxelli circiter avenæ, a quibus detrahendæ erant quinque minæ debitæ diversis dominis ab agri cultore.

Post hæc, census debiti a septuaginta octo villicis tenentibus nonaginta sex tenuras[7] agri, et gallinæ[8] a septuaginta quatuor aliis pro centum viginti tenuris; dabant gallinas pro censu masurarum et domorum tantummodo, sed plerumque solebant pro singulis gallinis unum duosve denarios solvere. In verso folii 61[i], indicantur rotaticum foragiumque debita pro sexaginta tuguriis sitis Noisiaci; in fol. 64° v°, census debiti pro duabus domibus quas Guillelmus Parisiis possidebat, scilicet 112 solidi, 12 denarii, assuetis ibidem diebus solvendi, scilicet in Nativitate Sancti Johannis, in festo sancti Remigii, in Nativitate Domini et in Pascha. In

1. V. fol. 46; inter quos Guillelmus ipse, qui solvebat unum denarium.
2. V. fol. 46 v°.
3. A. N., S 1542[A], fasc. 2 et 8; S 1542[B], fasc. 3.
4. V. fol. 47 v°.
5. V. fol. 49 v°.
6. V. fol. 50 v°.
7. V. fol. 55 v°.
8. V. fol. 57 v°.

eadem pagina descripta sunt arva quæ Erqueti Guillelmus habebat, continentia viginti quinque arepennes, tria quarteria sexdecimque virgas, quæ in manu mortua possidebantur[1]. Postea liber rationis describit alios agros, scilicet viginti quinque arepennes cum tribus quarteriis ad Plexeium[2] sitos, tria quarteria ad Bouconivallem[3] et bona Thilleti[4] posita et in manu mortua possessa. Pauca tandem sunt conscripta de Erqueti vaccis suibusque in tributum debitis Guillelmo[5].

Nunc requirendum est in cujus manus bona Guillelmi de Erqueto per tempora transierint : census debitus domino Erqueti propter concessionem Johannis de Erqueto[6], mense augusto anni 1303i, deinde negatus a Ludovico de Trousseio, armigero, qui fuit tunc dominus Erqueti, confirmatus[7] est 17a die junii anno 1623o. Paucorum bonorum emptorum in chartis prioratus mentionem[8] reperimus; alia advenerunt seu propter pecuniam non solutam[9], seu ex judiciali sententia[10]. Ibidem quoque conservatæ sunt litteræ vendi-

1. V. fol. 69.
2. V. fol. 70.
3. V. fol. 71 v°.
4. V. fol. 72 v°.
5. V. fol. 79.
6. A. N., S 1542A, fasc. 8 ; S 1542B, fasc. 1.
7. A. N., S 1542A, fasc. 4.
8. A. N., S 1542A, fasc. 7.
9. Cf., exempli causa, masuram Erqueti, per judicium, 24o junii anni 1403i, acquisitam, A. N., S 1542A, fasc. 4.
10. V. *Ibidem*, fasc. 7. — Domus ipsa a Guillelmo olim empta, negata

tionis[1] quorumdam bonorum in prioratus censiva sitorum, factæ 12ª die martii, anno 1386°.

Chartæ quæ locationes continent bonorum a Guillelmo moriente relictorum nos docent pretium agrorum et reditus mutatos postea fuisse. Supersunt etiam nonnullæ chartæ quarum vi domus ab illo Erqueti possessæ in alium dominum transierunt[2].

Quorumdam prædiorum locationes propter continuam chartarum seriem novimus, præsertim cujusdam fundi, qui continebat quinque arepennes cum dimidio, in una « pecia », in loco dicto nemus Mansarti, item tres arepennes cum dimidio in loco dicto Motta, item duos arepennes cum dimidio positos in extremo semitæ quæ ducit ad « Crouy », tandem arepennem situm in loco dicto Foresta. Quem fundum locabat dominus, sibi vindicatis censibus, lodiis venditionibusque, emolumentis justitiæ, prato denique Bellomonte sito et censu 6 librarum, 12 solidorum et 6 denariorum parisiensium, ex agro regio Silvanectensi[3].

Pro conducto prædio villicus, 2ª die augusti, anno 1619°, pollicitus est 36 libras turonensium, duos capones et pretium duarum missarum cum cantibus celebrandarum[4]. Sub eisdem conditionibus adjunc-

fuit, anno 1623°, justis possessoribus, id est, priori et prioratui Erqueti; eam Castelletum Parisiense restitui jussit, A. N., S 1542ᴬ, fasc. 4.

1. A. N., S 1542ᴬ, fasc. 16.
2. A. N., S 1542ᴬ, fasc. 2.
3. A. N., S 1542ᴬ, fasc. 14.
4. Tota series illarum locationum servatur, A. N. S. 1542ᴬ, fasc. 14

tis, conductor pollicitus est, 3ª die maii anno 1627°, 45 libras turonensium.

21ª februarii 1637° : 50 l.

23ª junii 1640° : 50 l.

14ª januarii 1648° : 65 l. Tunc additi sunt prædio isti tres arepennes de pratis Bellomonte super Isaram sitis, qui locati erant[1] :

19ª novembris 1621° : 45 l. t.

4ª aprilis 1626° : 50 l.

19ª maii 1635° : 50 l.

7ª septembris 1640° : 60 l.

14ª januarii 1648° : 100 l.

Summa igitur locationum duorum fundorum hinc adæquabat 165 libras; sed conduxit hæc omnia, 14ª maii, anno 1658°, Reginaldus Lante, daturum se pactus 200 libras et 5 capones. Idem eadem conducens, 14ª junii 1666°, haud minoris 260 libris locationem pepigit. Anno autem 1674°, locandum agrum, resiliata locatione, Eustachius Theobaldus pro 170 libris tantummodo conduxit. Paribus conditionibus 17ª maii 1683° pactum est; anno autem 1711° agri locatio pervenit ad 180 libras, anno 1720° usque ad 220 libras et fuit bis, 23ª martii 1720ⁱ atque 11ª martii 1741ⁱ, eodem pretio conductus. Anno autem 1749°, locatio prædii conducti a curato Erqueti ad 150 libras descendit, post crevit ad 240, anno 1756°, tandemque anno 1790° ad 300 libras[2].

1. Omnes locationes, A. N., S 1542ᴬ, fasc. 14.
2. Declaratione data 3ª martii, anno 1790°, A. N., S 1540.

Quod attinet ad cetera bona, non sic integræ series locationum servatæ sunt. Unam chartam tamen, vetustatis causa, specialiter commemorare decet : litteras[1] enim habemus datas 27ª die novembris, anno 1291°, quibus Johannes dictus Anglicus conduxit agrum de Guillelmo de Erqueto. In hac conductione, sicut in alia [2], 5ª die julii, anno 1392°, facta, villicus non pecuniam solum spondet, sed varias operas, freutus agrorum, culturam prædii quod in firmam non conduxerat. Breviter annumeramus similes litteras hic repertas : 7ª die julii, anno 1487°, villicus pollicebatur se centum libras daturum ad capellam reficiendam et illam bene servaturum, atque ter quaterve quotannis priori cum uno famulo et equis gistum præstiturum; sed obtinuerat census, terras, vineas, justiciariosque sumptus prioratus, alienatos in novem annos pro modico admodum pretio, scilicet viginti libris tantummodo[3]. Anno autem 1603° fere similibus conditionibus ager conductus fuit : villicus autem quinquaginta libras spopondit[4]. Tandem, anno 1631°, Petro Levassori, granatario salis ad Clarummontem[5], cummittitur cura percipiendi decimas, campipartes, ceteraque varia emolumenta prioratus quorum ipse mediam partem obtinebat.

1. A. N., S 1542ᴬ, fasc. 14.
2. *Ibidem.*
3. *Ibidem.*
4. *Ibidem.*
5. *Ibidem.*

Quibus documentis addere licet primo causas de pecuniis non solutis illatas, quarum præcipua acta fuit in Nicolaum, militem, marchionem de Freneio[1], qui debebat 440 libras pro arreragiis 30 librarum annuatim debitarum, et condemnatus fuit, 18ª julii anno 1722°; indicem quoque quorumdam redituum anno 1631° conscriptum[2].

Mortui Guillelmi bona in manum mortuam translata[3] sunt a Ludovico, filio Roberti comitis Clarimontis, 27ª die junii, anno 1316°, per chartam quæ nobis præbet seriem possessionum quæ tunc nondum in manu mortua detentæ erant. Septima die junii, anno 1318°, capellam Erqueti Johannes XXIIus, summus pontifex, ordinarii jurisdictione immunem[4] fecit. Sed difficultates ortæ sunt inter viros a Guillelmo testamento facessendo præpositos et abbatem Sanctæ Genovefæ; cujus litis arbitros idem romanus pontifex abbatem Sancti Luciani Belvacensis, officialem et cantorem ecclesiæ cathedralis ejusdem loci per bullam[5] datam 2ª die junii, anno 1321°, constituit. Paucis post annis testamentum Guillelmi inspexit officialis Parisiensis[6] et transcribi jussit, nam paulo antea, pace confecta, prior Vallis Scolariorum et Johannes de Plexeio quittatio-

1. A. N., S 1542A, fasc. 7.
2. A. N., S 1542A, fasc. 16.
3. A. N., S 1542B, fasc. 2.
4. A. N., LL 1445, fol. 83, n° 2 et fol. 84, n° 4.
5. A. N., LL 1445, fol. 83.
6. 8ª junii 1329°, A. N., S 1542A, fasc. 8; S 1452B, fasc. 2; *Mémoires de la Soc. académique de l'Oise*, V, p. 545.

nem bonorum Guillelmi abbati Sanctæ Genovefæ remiserant[1].

Alia controversia orta est anno 1369° inter priorem Sancti Ludovici Erqueti et dominum de Granciaco reginamque Bohemiæ, sed 3ª die martii concordatum est in Parlamento, et prioris adversariis remissa est « recredentia » bonorum cujusdam de domesticis eorum qui prioris famulum occiderat[2]. Dominus vero de Granciaco, sicut dominus de Credulio, et regina Bohemiæ confitebantur priorem sibi hæc bona, sponte sua nec coactum, concessisse, nec posse hunc rerum statum deinceps immutari quin præjudicium aliquod priori inferretur[3].

Recolimus tandem capellam direptam fuisse, anno 1619°, a latronibus qui vasa omnia, chartas, fructus, campanas etiam abstulerunt. Anno[4] autem 1790°, bona quæ Erqueti ad abbatiam Sanctæ Genovefæ pertinebant[5], scilicet undecim arepennes agri et tres arepennes prati, 300 libras annuatim præbebant.

1. A. N., S 1542ᴮ, fasc. 2.
2. A. N., X¹ᶜ 20, n° 8.
3. A. N., X¹ᶜ 20, n° 8; de hac lite, v. fol. 77 v°.
4. A. N., S 1542ᴬ, fasc. 7.
5. A. N., S 1540.

LIBER RATIONIS

(Fol. 1 v°[1].) Livre des biens de Guillaume d'Erquez, clerc du roy. Il y a plusieurs curiositez rapportantes à la Picardie et diocese de Laon[2].

Ce livre cy apertient a Sainete Geneviesve au mont de Paris de la chapelle de Arcuis[3].

Ce livre cy appertient a Saincte.... [4].

Ce livre appertient a Saincte Geneviesve ou mont de Paris de la chapelle de Arcuis[5].

(Fol. 2 r°.) Frere Thomas le Boulleur[6].

Frere Anceau Langloys[7].

(Fol. 2 v°.) Universis, etc. Officialis Parisiensis, etc. Noverint universi quod venerabilis vir magister Guillel-

1. Folio 1 recto : quædam charta scripta anno Domini 1473°, quæ non pertinet ad Erquetum, cujusque omnes lineæ finem amiserunt. Ista quidem charta ad librum tegendum suta erat. — Nominibus locorum in indice alphabetico tantummodo præsens forma notatur.

2. Hæc verba postea, manu domini Lebeuf, presbyteri, scripta sunt.

3. Verba scripta xv° sæculo.

4. *Idem.*

5. *Idem.*

6. Verba scripta xiv° sæculo.

7. *Idem*, v. fol. 79 v°.

mus de Erqueto, Remensis [1] canonicus, in nostra presentia constitutus, asseruit et proprio juramento firmavit, quod ipse inter duo festa beati Johannis Baptiste ultimo preterita suam fecit tam Parisius quam alibi residentiam, ratione sue prebende Remensis, secundum usum et consuetudinem Remensis ecclesie, de lucrandis fructibus ultimo collectis, per privilegium domino regi Francie a domino papa concessum [2], pro clericis suis in ejus servicio et obsequio insistentibus de lucrandis fructibus beneficiorum suorum, tamquam proprius regis clericus in ejus obsequio et servicio constitutus, et eisdem insistens. Quod omnibus quorum interest sub sigillo nostro tenore presentium intimamus. Datum, etc....

Herbe inferius annotate proficiunt ad estivandum pro aliquo estivando. — Roquemont [3].

Recip[iantur] fumi terre, scabiose, ascincii, camamille, malve, lapacii, ana, manipulum. Iste herbe scindantur et modicum cassentur, et eis addantur manipuli tres ordei

1. Guillelmus factus fuerat Remensis ecclesiæ canonicus xvi^a^ aut xvii^a^ die januarii, anno Domini 1291°, cf. fol. 11 r°. — Sed, xxvi^a^ die februarii, anno pontificatus sui septimo, Bonifacius VIII^us^ proposuit ad præbendam, vacantem propter liberam resignationem Guillelmi, Petrum natum quondam Adenolfi de Comite, civis Romani, A. N., J 348, n° 12 *bis*. Rursus anno 1311° canonicus Remensis factus erat, vide infra fol. 78.

2. Per bullam datam mense octobris, anno 1281°, quam legimus infra fol. 7. — V. Potthast, *Regesta pontificum Romanorum inde ab a. post Christum natum MCXCVIII ad a. MCCIV*, II, n. 21802. — Actionem illatam de ista concessione privilegii reperimus in libro Memorialium Cameræ Computorum subscripto *Pater*, fol. 299 : Cf. Joseph Petit, etc. *Essai de restitution des plus anciens Mémoriaux*, p. 154.

3. Alia charta ab eodem Johanne, 20^a^ die maii 1366 scripta, infra perscripta est, fol. 77 v°. Qui Johannes verisimiliter librum rationis possidebat et capellæ Erqueti terras tunc regebat. Qui Johannes nomen suum scripsit quoque fol. 2 v°, 47 et 69 v°.

benemundati, et ... in toto cum aqua decoquantur et fumus inde proveniens in cuva recipiatur[1].

Guillelmus de Erqueto, domini regis Francie clericus, archidiaconus Therascensis[2] in ecclesia Laudunensi, viris venerabilibus et discretis dominis... domino G. decano ejusdem ecclesie Laudunensis et domino Johanni de Festuz, concanonico nostro Laudunensi, salutem et dilectionem cum reverentia. Installationem... abbatis monasterii Sancti Nicholai in Bosco[3], archidiaconatus nostri, noviter in eodem monasterio sicut accepimus ...ad nos pertinet faciendam post impensum sibi canonicorum benedictionis sue munus vobis et vestrum cuilibet insolidum [tenore presentium], salvo tamen in omnibus jure nostro, committimus solummodo ista vice de gratia speciali, adhibitis sollempnitatibus que [consueverint in talibus adhiberi]. Dantes vobis et vestrum cuilibet potestatem plenariam faciendi omnia et singula que circa hoc fuerint facienda et videbuntur oportuna. Datum et actum Parisius, dominica in Ramos Palmarum, IIIIª die aprilis, anno Domini MCCCXIº.

Roquemont[4] l'an LXXII.

COPIA LITTERE MISSE CAPITULO REMENSI PRO GUILLELMO DE ERQUETO pro stagio suo facto in studio Parisiensi[5]....

Johan de Roquemont[6].

(Fol. 2º.) ..... LXV mines, V boisseaus et demi de blé a la

1. Tales sunt herbæ proficuæ, nomen : « Roquemont », postea scriptus fuit.
2. Thiérache, regio quædam sita prope Laudunum et Sm Quintinum.
3. V. fol. 36 vº.
4. V. notam tertiam, de hoc verbo, pagina 56ª.
5. Instrumenta fere similia sunt fol. 2 et fol. 79, itaque illud negleximus.
6. Vide pænultimam notam.

mesure de Chambli valent xxi muis, iiii mines a la mesure de Mello, qui valent a celle meme mesure [1]...

Magister Guillelmus de Erqueto debet priori prioratus Magdalene de Melloto, ratione decime sue quam percipit et possidet annuatim in territoriis de Erqueto, de Plexeio, de Bouconval et de Thilleel, xxxii modios granorum ad mensuram et modium Melloti [2], scilicet xxi modii, iiii mine bladi; valent xii^{xx}xvi minas ad modium et mensuram predictos, que valent ad mensuram Chambliaci ix^{xx}xviii minas, iiii boissellos et dimidium cum medietate boisselli; et xx minas ad mensuram Melloti. Notandum est enim quod vi^{xx}vi mine bladi ad mensuram Chambliaci valent ad mensuram Melloti xii modios, iiii minas; et lxxii mine, iiii boisselli et dimidium cum medietate boisselli ad mensuram Chambliaci valent ad mensuram Melloti vii modios, iiii minas. Que quidem ix^{xx}xviii mine, iiii boisselli et dimidium ad mensuram Chambliaci valent xix modios, viii minas ad modium et mensuram Melloti; et x modii, viii mine avene ad modium et mensuram Melloti valent ad hujus modium et mensuram cxvi mine, vii boiselli ad mensuram Melloti. Item sciendum est quod xxxvi mine avene ad mensuram Chambliaci valent iii modios, viii minas ad mensuram Melloti; et viii mine, vii boisselli ad mensuram Chambliaci valent xvi minas ad mensuram Melloti.

Forma litterarum abbatis et conventus monasterii Gemmeticensis concessarum magistro Guillelmo de Erqueto, domini regis Francie clerico, pro plena participatione bonorum que fiunt et de cetero fient in omnium ipsorum monasterio in futurum. — Viro venerabili et discreto magistro

1. Hic verisimiliter deficit unum folium, nam initium hujus notæ reperire non jam licet.
2. De mensuris et modiis, v. p. 9.

Guillelmo de Erqueto, archidiacono de Thereiche, frater Guillelmus, Dei permissione monasterii Gemmeticensis minister et ejusdem loci conventus humiles, salutem in Domino sempiternam. Quia sancti propositi desiderium ex humane infirmitatis conditione affectu a suo salutari sepius retardetur, nisi, divinis suffragiis obtentis, supplicatione fidelium adjuvetur, vestre fidei et bone voluntatis sinceritas fratrum nostrorum, quos Dei credit domesticos et amicos, adhiberi sibi auxilia postulata. Nos, vestra devotione quam ad nostram habetis ecclesiam debita meditatione pensata, vobis omnium missarum, omnium jejuniorum, vigiliarum, elemosinarum ceterorumque bonorum, que per nos Dominus fieri permiserit, participationem tenore presentium concedimus specialem. Volumus insuper ut, post decessum vestrum, dum tamen vester obitus nobis fuerit notus, pro anima vestra in conventu nostro missa solempniter celebretur. In cujus concessionis, societatis et fraternitatis testimonium sigilla nostra presentibus duximus apponenda. Datum anno Domini MCCCX°, mense decembri, in festo sancti Thome martiris [1].

(Fol. 3 v°.) Mestre Guillame de Erquez ot et cuilli, que de la cuilleite de ses terres de Erquez, de Noysi et de Garges, pour la champart et pour la dime de Erquez, et pour la champart de Thilleel pour l'aoust qui fu l'an mil CCC et IX, VII^c XXXVII mines, IIII boisseaus et le quart de demi boisseau a la mesure de Chambly et a la mesure de Garges. C'est assavoir de ses terres de Erquez de la champart et de la dime VI^c XV m., V b. et demi; de seigle XXIII m. et demie; de fourment LXVII m., V b.; de mesteil III^c XXIIII m., III b. et demi; du blé de Noysi XXV m. et demi; du blé de Garges XV m., II b. a la mesure de Garges; du blé de la champart de Thilleel XIII m., IIII b. et demie; du blé de la preu-

1. 29ª decembris.

vende de Mellou lxv m. et demi boisseau ; de fourment de rente pour les oublies ii m., demi b. et le quart de demi b. Compté et mis en ceste somme de blé ix^{xx}xii m. a la mesure de Mellou qui valent xvi muis au mui de Mellou que li diz G. achata du prieur de la Magdeleine de Mellou xxviii livres, xvi s. par. de fort monnoie, pour le mui de Mellou xxxvi sous. En aveinne pour cel aoust, que de cuilleite, de rente, de champart et de dime iii^{c} xlviii m., ii b. a la mesure de Chambli et de Garges. C'est assavoir de la cuilleite de ses terres, des coutures de la Magdaleine, de champart et de dime, tout mis ensemble, ii^{c} xix m., i b. et demi ; des terres de Garges v m. et demie a la mesure de Garges. Des rentes d'aveinne, que de Erquez que du Plessie, xxvi m., ii b. et demi; de l'aveinne de champart pour les guedes vii m. ; de dime pour ces mesmes guedes ix m., ii b. et demi; de la champart de Thilleel vi m., v b; de l'aveinne pour la preuvende de Mellou lxxiiii m., ii b. et demi, c'est assavoir xxxiiii m., ii b. et demi a la mesure de Chambli, et a la mesure de Mellou xl m., paiées au prieur de Mellou pour sa dime.

En pois pour le dit aoust lix m., i b. a la mesure de Chambli, c'est assavoir de la cuilleite des terres du dit G. xxviii m., iiii b., de champart et de dime xxx m. et demie.

En feves pour le dit aoust xvi m., ii b. et demi a la mesure de Chambli, c'est assavoir de la cuilleite du dit G. x m., i b. et demi, de champart et de dime vi m., i b.

En orge pour la cuilleite du dit G. pour le dit aoust x m., i b. a la mesure de Chambli.

(Fol. 4 r^{o}.) Les iiii arpenz de terre gaaingnable en une piece seanz ou Val Bernier, ou terrouer de Tilleel, qui sunt de la cousture de la Magdaleine de Mellou sunt a champart, dont il est a savoir et est de ancienne et approuvée costume que li champarteeurs, c'est a savoir li Marc d'Argent et Jehan Bequet de Tilleel et les autres seingneurs

de ce lieu, se il a en ce champ IIII gerbes de champart li diz champarteeurs ont la quarte gerbe tant seulement, et li possesseur du champ les III, et du plus plus et du meins meins.

Le demi arpent de terre seant ou Val Watier, qui fu Guillot Geubert, doit chascun an I tornois de cens le jour de la Nativité saint Jehan Baptiste, a porter a Croy a Robert de Tarembus et a Adam Tuevache de Bruieres, escuiers, ou a ceus qui ont cause d'euls, et est a savoir et si est de ancienne et esprouvée coustume que, se il a en ce demi arpent de terre IIII gerbes de champart, li diz escuiers ou ceux qui ont cause d'euls, ou a qui la champart appartient, ou puet ou doit appartenir, ont la quarte tant seulement pour raison de la champart et li possesseur de ce champ les III gerbes quittement et fu poié ce tornois au dit terme l'an MCCCVIII a Jehan d'Ambleincourt, escuier.

C'EST CE QUE MAISTRE GUILLAMES DE ERQUEZ, clerc nostre seingneur le roy de France, arcediacre de Theresche en l'eglise de Laon, tient en fié de Jehan de Erquez[1], escuier, sire de celle ville, et puet valoir ce fié chascun an, l'un parmi l'autre, environ XIII l., XIX s., I d., obole, pou plus pou meins, par l'estimation ci apres contenue et nommée. C'est a savoir le tierz de toute la moitié de toutes les champarz de Erquez et du terroer, o toutes les appartenances, pour raison de l'achat[2] que il fist jadis a monseingneur Ernoul d'Estrées, chevalier, et a madame Jehanne, sa fame, qui bien vault chascun an XXXVI m. de grain a la mesure de Chambli, dont le setier vaut bien, l'un parmi l'autre sisein soulz, valent CVIII soulz.

1. Instrumenta emptionis a Guillelmo factæ : A. N., S 1542^A et B. — Ludovicus, comes de Claromonte, possidendi in manu mortua licentiam dedit anno 1316°, A. N., S 1542^B, fasc. 2.

2. 6ª die augusti 1303°, A. N., S 1542^B, fasc. 1; vidimus, A. N., S 1542^A, fasc. 8. — *Ibidem,* ratificatio a Johanne de Erqueto data.

Item un manoir qui est du dit mestre Guillame qui fu feu Jehan Peletier, qui bien vault chascun an xx s.

Item vii masures qui doivent chascun an au dit mestre G. xix m. d'aveinne a la mesure de Mellou et xii chapons et vi oublies, qui bien valent chascun an lxxvii s., v d., c'est asavoir en deniers ses deuz a lui chascun an sur les dites masures xxvi s., iii d., pour le setier d'aveinne iii s., iiii d., pour le chapon xii d., et pour l'oublie xv d.

Item viii d., obole, en autre menu cens.

Item xviii s. de cens que li diz Jehans de Erquez doit pour la masure qui fut Jehan de Pont.

Item tele partie comme il puet appartenir au dit mestre G. es cens des bois et des vingnes de Erquez et du terroer, qui bien valent xv s. chascun an.

Item ventes, saisies, amendes, bonnages et autres aventures, et tout autre justice haute et basse que il a en toutes les choses devant dites, qui puevent valoir xl s. par an ou environ.

(Fol. 4 v°.) C'est ce que misires Guiz de Monceoust, chevalier, tient en fieu de mestre Guillame de Erquez, clerc nostre seigneur le roy de France.

Premierement iiii arpenz de pré ou environ en la praerie de Asnieres [1] et une rente en la ville de Asnieres.

Item xvii deniers de cens en la ville de Noysi.

Item Pierres de Beaucent viii d. de cens.

Item un setier de grain ou illec environ de champart en la ville de Noysi.

Item Pelerin de Chambli tient de misire Gui en arriere fieu, que li diz misires Guis tient du dit mestre G. :

Premierement un arpent ou illec environ en la praerie de Asnieres et le quart d'une rente.

1. Dederat rex hoc pratum, A. N., S 1542ᴮ, fasc. 2.

Item IIII d. de cens en la ville de Noysi.

Item demie mine de champart ou illec environ.

Item les hers mestre Jehan de Bruieres, jadis vicaire de Pontoise, tiennent du dit misire Guy un arpent de pré ou illec environ en la praerie de Asnieres et le quart de une rente.

Item IIII d. de cens en la ville de Noysi.

Item demie mine de champart ou illec environ.

Et se li diz Guis avoit riens oublié, il est prest, tantost comme il vendra a sa congnoissance, de faire le savoir au dit mestre Guillame, ou a ceus qui aront cause de lui.

Vez ci la terre que Renaut de Doui tient de mestre Guillame de Erquez, laquelle terre est a Noysi.

Premierement une piece de pré si comme elle se comporte, et II pièces de vingne si comme elles se comportent, et X s. de cens ou la entour.

Item V demies mines d'aveinne, et II chapons, et une oublie.

Item VII deniers a Noel de rentes et le rouage, et la seingneurie tele comme il peut avoir, il l'aveue a tenir de mestre G. de Erquez, et aveques ce le fié que Pierres Fontel de Chambly tient de moy.

Et se il y avoit riens oublié, si li voudroit il bien aviser et que vous l'en aydissiez a aviser, se vous i saviez chose qui fust a aviser, et se on li empeschoit riens, que vous li aidissiez a delivrer.

C'est li fiez de Noysi et des appartenances que mestre Guillames de Erquez, clers nostre seingneur le roy de France, arcediacre de Theresche en l'eglise de Laon, achata[1] de Symon du Tronquoy, escuier, et de Ruece, sa

1. Philippus IV rex Guillelmo dedit licentiam possidendi hoc feodum, « quanquam de nobilium genere non sit procreatus », per

fame, lequel fié il tient de Girart du Delouge, jadis escuier, dont il entra en la foy et en l'ommage du dit Girart a Tiboutvillier, le mercredi devant la saint Michiel l'an nostre Seigneur mil CCC et nuef[1], presens misires Symons de Trienvel, chevalier du dit nostre seigneur le roy, Oliviers son filz, la mere du dit Girart et son frere, (Fol. 5.) messire Estienne de Fontainnes, prestre, Perrot de Lambale, clerc, et Guillame Mande Dieu, escuier. C'est assavoir en cens deuz a divers termes environ XIX s., V d., ob. par.

Item VII rentes deues a Biaumont, dont la rente vault II pains, II chapons et VI deniers pour l'aveinne.

Item une rente et demie a Asnieres, et vault la rente II mines d'aveinne, II pains, II chapons et VI d. pour le cens.

Item en aveinne environ XL m. a la mesure de Chambli, et III m. de noiz.

Item le roage et le forage de Noysi, dont il doit chascun an au roy a Biaumont pour le setier a vin querre en la ville de Noysi III s., III d. par.

Item pour les gelines de mi may IIII s., VI d., ob. par. ou la entour.

Item II arpens de terre gaaingnable seant es Aiens.

Item une piece de vingne qui siet devant la meson Saint Pere de Biaumont, contenant entour arpent et demi, et est accensée a touzjours mes par XLV s. par. de cens a poier chascun [an] a la saint Martin d'Yver.

Item II fiez et II arriere fiez. Et se plus il avoit ou meins et li diz mestre G. s'en povait aviser et savoir, si le veult il amender et certefier a son escient, et fet protestation et sa retenue que ce ne li doie grever ne nuire, ne a ses hers, ne retorner en damage ne en prejudice.

chartam datam mense maio, anno 1294°, A. N., S 1542[A], fasc. 8; S 1542[B], fasc. 2; v. p. 8-9.

1. 24[a] septembris.

La teneur de la lettre de la finance d'un cheval paié au dit Girart. — A touz ceus qui ces presentes lettres verront et orront, Girarz du Deluge, escuier, salut. Je fas assavoir a tous que honorables homs et discrez mestre Guillames de Erquez, clers nostre seigneur le roy de France, arcediacres de Theresche en l'eglise de Laon, a finé a moy du cheval de service que je li demandoie pour reson du fié que il tient de moy en foy et en hommage par sexante soulz de par. de bonne monnoie, que je ay eu et receu du dit mestre G. en bonne monnoie bien et lealment comptée, et dont je me tieng bien et enterinement pour paiez; duquel cheval de service et de laquelle somme d'argent (Fol. 5 v°.) je en quitte des ci a touz jours mes le dit mestre Guillame tant comme il vivra. Promectenz en bonne foy que contre ceste finance et ceste quittance je ne venre encontre ne ne fere venir par moy ou par autres, quiex que il soient, ne comment que ce soit. En tesmoingnage de laquel chose et et a greingneur seurté, je, Gerarz devant diz, ay mis en ces presentes lettres mon propre seel dont je use. Ce fu fet et donné a Chambli, le lundi apres l'Ascension, en l'an Nostre Seigneur mil ccc et x, ou mois de juing [1].

La teneur de la lettre de la finance que mestre Guillame de Erquez a fete a Jehan de Erquez, escuier, du cheval qu'il li demandoit pour raison du fié que il tient de li. — A touz ceus qui ces presentes lettres verront et orront, Jehans de Erquez, escuier, sires de ce lieu, salut. Je fas assavoir a tous que honorables homs et discrez mestre Guillames de Erquez, clers nostre seigneur le roy de France, arcediacre de Theresche en l'eglise de Laon, a finé a moy du cheval de service que je li demandoie pour reson du fié que il tient de moy en foi et en homage par dis livres de tournois de forte monnoie, que je ay eu et receu du dit

1. 1ª junii 1310°.

mestre G. bien et leaument comptée, et dont je me tiens bien et enterinement pour paiez, duquel cheval de service et de laquele somme d'argent je en quitte de ci a touz jours mes mes (*sic*) le dit mestre G., tant comme il vivra, promettant en bonne foi que contre ceste finance et ceste quittance je ne venre encontre ne ne fere venir, par moy ou par autres, quiex qu'il soient, ne comment que ce soit. En tesmoingnage de laquel chose et a greingneur seurté, je, Jehans devant dit, ay mis mon propre seel dont je use a ces presentes lettres. Ce fu fet et donné a Erquez, le vendredi devant feste saint Clement, en l'an Nostre Seigneur mil CCC et nuef, ou moys de novembre [1].

Lesqueles dis livres de tournois furent lors paiées en la meson du dit Jehan par XXII s., X tournois d'argent, VII livres, XIX s., X d. par., pour le tournois VII d., et par III doubles, II deniers, en la presence de Pierre du Hameil, escuier, Guillame le sueur de Erquez, Pierre de Lambale, clerc, damoisele Marie, femme du dit Jehan, et de Perrinet de Cerenz, neveu a la dite damoisele Marie.

(Fol. 6 r°.) Tel, ballif de Senliz, a tel, salut et amour. Je vous mant que vous en vostre vente de la forest de Halate [2] delivrez et faciez delivrer sans delay et sanz nul contredit a honorable home et discret mestre G. de Erquez, clerc nostre seigneur le roy de France, arcediacre de Theresche en l'eglise de Laon, ou a son commendement qui ces presentes lettres vous portera, toutefoiz que vous en seroiz requis, vint cherretées de busche a ardoir que il prent chascun an en la forest de Halate du don [3] du dit

1. 21ª novembris 1309°.
2. Hæc silva sita est in pago Silvanectensi.
3. Per chartam datam mense januario 1298°, A. N., S 1542ᴮ, fasc. 2. — Cujus chartæ superest vidimus per præpositum Parisiensem, A. N., S 1542ᴬ, fasc. 8.

nostre seigneur le roy de France, c'est assavoir pour chascune cherretée quatre moules et nu lessiez en nulle maniere tantost que sa gent vendront a vous et vous en requerront. Ce fu fet et donné, etc.

Judex auctoritate apostolica deputatus super privilegiis ecclesie Laudunensis, presbiteris omnibus Belvacensis dyocesis ad quos presentes littere pervenerint, salutem in Domino. Mandamus vobis auctoritate predicta, sub pena suspensionis et excommunicationis districte injungentes, quatenus citetis peremptorie coram nobis Lauduni tales et tales, ad talem diem, venerabili et discreto viro magistro Guillelmo de Erqueto, archidiacono de Therasca in ecclesia Laudunensi ac excellentissimi principis domini regis Francie clerico, responsuros, non obstante quod dicta privilegia ad vos non mittimus propter viarum discrimina, parati enim sumus de ipsis facere fidem Lauduni prout jus et ratio suadebunt [1]. Datum anno Domini MCCC° quinto, feria secunda post Cantate [2]. Remittite litteras sigillatas.

Universis presentes litteras inspecturis, officialis Remensis, salutem in Domino [3]. Noverint universi quod in Remensi curia propter hoc personaliter constitutus discretus vir dominus Theobaldus de Sacro Cesare, canonicus Remensis, discretum virum magistrum Petrum de Trecis, concanonicum suum Remensem, suum fecit et constituit procuratorem verum et legitimum ac nuncium specialem ad levan-

1. Hanc chartam servaverat Guillelmus de Erqueto ad ejus formulas imitandas.

2. 17ª maii 1305°.

3. Specimen procurationis canonici absentis ad fructus prebendarum suarum percipiendos per procuratores : in Remensi ecclesia, anno 1291°, Guillelmus procuratores elegerat Johannem de Drione et Nicolaum de « Eiglecourt », v. fol. 11 r°.

